


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
D
85
NAP

MARCI ANTONII
JOANNIS ANTONII ET GABRIELIS
FLAMINIORUM
FOROCORNELIENSIUM
CARMINA.

Quid praeterea in hoc Volumine continetur,
duae indicant ad Lectorem Epistolae.



PRATI
Typis Raynerii Guasti
MDCCCXXXI.

TYPOGRAPHI PRATENSIS

AD LECTOREM

MONITUM

En tibi, candide Lector, praeclari illius Poetae Marci Antonii Flaminii carmina, quibus excudendis sedulam navavi operam, ne tantum tamque venustum Latinae poeseos monumentum, ob editionum penuriam paucorum tantummodo manibus jam evolvendum, paulatim memoria Litteratorum excidisse, nominique Flaminiorum debitum honorem fuisse imminutum vel penitus defecisse doleret.

Cominianam editionem, anno 1743. *typis mandatam, secutus, duas etiam editoris illius, quas ad Lectorem nuncupavit Epistolas, servandas curavi: eae nempe Te ordinem quo ibi variae res digeruntur, ceteraque id genus notanda docebunt, nec non Auctoris laudes, cum ex ipsis, tum ex Vita ejusdem per Franciscum Mancurtium elegantissime descripta, atque etiam ex pluribus illustrium Virorum Testimoniis plane cognosces. Praeter carmina M. Antonii Flaminii, illa etiam habes lectiora Jo. Antonii patris, et Gabrielis nepotis ejus.*

Accipe itaque, gratumque habeas laborem hunc meum, quo incredibili a te percipiendae voluptati, gloriaeque eximii hujus Poetae pro viribus excitandae atque augendae consului. Vale.

LECTORI CANDIDO

FRANCISCUS MARIA MANCURTIUS

M. Antonii Flaminii *Carmina superioribus annis praeclarissimis typis Cominianis tradita atque evulgata, adeo feliciter per Litterariam Rempublicam volitarunt, ut nullum eorum exemplar amplius apud typographum supersit ad eruditorum hominum desiderium explendum, qui Carmina ipsa in dies vehementer expetunt. Id cum ex humanissimis Cl. V. Cajetani Vulpii litteris intellexissem, ad alteram eorumdem Carminum Editionem mox animum adjeci. Qua de re in eam studium meum, diligentiam ac sedulitatem contuli, ut emendatior, illustrior ac locupletior quam antea evaderet. Igitur cum jamdudum perraram supellectilem ex illustrium Scriptorum lectione conquisitam ad id paravissem, primo* Flaminii *Vitam novis verisque luminibus illustravi. Hinc ejus Operum varias editiones tum nostris, tum ejusdem Vulpii notationibus distinxi. Deinde Carminum ejus numerum industria nostra, ejusdemque Vulpii adauximus: sublatis tamen perpaucis ex libro III. Lusuum Pastoralium; praecisis etiam aliquot ex Epistolis hendecasyllabo carmine scriptis, de quibus, candide Lector, in fine Carminum monitum nostrum accipies. Testimonia quoque tum Oratorum, tum Poetarum illustrium de Flaminio auctiora exhibemus. Epistolam vero nostram ad eumdem Vulpium de* Flaminii *genere, ac nominis appellatione, Vulpius ipse pro sua in nos humanitate in calcem congessit. Indicem denique rerum praecipuarum novis observationibus tum nostris, tum ejusdem Vulpii*

exornavimus. Ad haec accedunt Jo. Antonii Flaminii *M. Antonii patris lectiora Carmina, tum de illo, ejusque scriptis doctorum Virorum testimonia, necnon ejus Vitae Operumque descriptio a nobis contexta. Praeterea* Gabrielis Flaminii *M. Antonii nepotis Carmina lectiora nunc primum edita, quorum delectum Vulpius idem fecit: nos vero de illius Vita brevem narrationem scripsimus, ex ejus Manuscriptis Codicibus, qui apud nos extant, depromtam. Postremo reliquorum illustrium* Flaminiorum *qui ad haec usque tempora litteris excelluere, monumenta apposuimus. Hae sunt, Lector candide, ornamentorum accessiones, quas ad* M. Antonii Flaminii *Carmina a Comino iterum excusa, feci. In iis si quid praestiti quod studiis tuis prodesse possit, grato suscipias animo. Vale.*

LECTORI

HUMANISSIMO

Ubi primum elegantissima illustrium Veronensium Poetarum Hieronymi Fracastorii, Joannis Cottae, Jacobi Bonfadii, Adami Fumani, et Nicolai Archii Carmina Patavii superioribus annis egregie excusa, in meas manus inciderunt, ea fui voluptate captus, ut mox de M. Antonii Flaminii *Carminibus iterum proferendis consilium ceperim. Quae quidem Carmina pluries in Italia, et extra Italiam adhuc* Flaminio *vivente, eoque e vivis erepto pervulgata fuerunt, quaeque majorem in numerum collecta leguntur in eo volumine quod Florentiae anno* 1552. *et Venetiis* 1558. *evulgatum est, hoc titulo:* Carmina Quinque Illustrium Poetarum, *Bembi videlicet, Naugerii, Cottae, Castilioni, et ipsius* Flaminii. *Verum quum haec animo versaremus, inopinata de* Flaminii *Patria Dissertatio nobis objicitur; tum nova quorumdam ipsius Carminum una cum reliquis illustrium Italorum Poetarum carminibus editio Florentiae prodiit, ubi tam* M. Antonius *filius, quum Jo. Antonius pater Serravallenses Tarvisinae provinciae nuncupantur: revera autem non ita sese res habet, uti fuse, ac perspicue in* M. Antonii *Vita ostendere conatus sum. Itaque in meditatam Flaminianorum Carminum editionem diligentiam contuli, ut ita Patriae decus tuerer, quae Flaminios litteris praestantes viros cives suos semper agnovit et coluit, sibique maximo fuisse ornamento semper duxit. Quapropter hac de re cum doctissimis Vulpiis Patavinis per*

litteras egi, in eam spem adductus, fore ut eorum opera et sedulitate ex Cominianis praeclarissimis typis quamprimum Flaminii *Carmina prodirent: qui pro sua singulari humanitate studium suum omne sunt nobis ultro polliciti. Ne quid vero hac in re inconsulte ageremus, Virorum Etrusca, Latinaque Poesi praestantium usi sumus consilio, et praecipue Francisci Mariae Vulpii clarissimi Forocorneliensis, ac Michaelis Josephi Morei Florentini, amicitia nobis conjuncti,* Flaminii *vero Carminum studiosissimi. Igitur* M. Antonii Flaminii *Carmina variis adhibitis collatisque exemplaribus emendavimus, quorumdam etiam Carminum tum editorum tum adhuc ineditorum accessione adauximus; Libros ipsos data opera in novum rectioremque ordinem digessimus, Annotationibus brevibus quidem, sed opportunis illustravimus, Indicibus locupletavimus, Testimonia delegimus, Vitam scripsimus, denique sex Epistolas hac recentiore Italica lingua ab eodem Auctore conscriptas, quod ad rem facere viderentur, e pluribus selectas adjecimus. Quorum singula si tuae excolendae magis eruditioni unquam proderint, humanissime Lector, uberrimum laboris nostri fructum nos percepisse arbitrabimur. Vale.*

MARCI ANTONII

F L A M I N I I

FOROCORNELIENSIS

VITA

A FRANCISCO MARIA MANCURTIO

CONSCRIPTA

Quum prae ceteris Litteratis Viris quos nobilis Familia Forocorneliensis Flaminia ad hanc usque aetatem protulit, omnium profecto clarissimus fuerit *Marcus Antonius*, egregiam illius Vitam, quum ad revocandam tanti viri memoriam, tum ad excitandam orationis ejus in utroque dicendi genere imitationem, eo animo quo erga optimum civem, patriae non solum, verum etiam totius reipublicae litterariae decus et ornamentum, nos esse maxime decet, describendam suscipimus.

Marcus Antonius Flaminius (1) perantiqua Zarrabbina Cotiniolana familia ortus, Joannis Antonii Forocorneliensis Oratoris ac Poetae illustris, Veturiaeque praeclarae feminae filius fuit. Siquidem pater ejus, qui Zarrabbinae stirpis erat, in celeberrimam Pomponii Laeti Academiam cooptatus, Flaminii cognomentum adeptus est; quo ipse

(1) Carolus Sigonius, et Borgarutius Borgaruccius in Vita Onuph. Zarrabini. Jo. Ant. Flamin. Epist. ad Card. Raph. Riarium lib. 1. Epist. Famil. num. vii.

in primis, deinde filius M. Antonius, tum nepotes, posterique ejus ad haec usque tempora sunt appellati. Quocirca non sunt audiendi (1) qui eumdem Jo. Antonium Imolae natum esse obscuro loco, seque in Flaminiorum gentem (2) inseruisse, Flaminiumque diei voluisse, scripserunt. Igitur filius ejus, qui non Antonius Maria, ut iidem dixere, sed Marcus Antonius semper est appellatus, anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Alexandro VI. Summo Pontifice, in nobili Tarvisinae provinciae oppido, quod Serravallem vocant, natus est. In illum etenim peramoenum locum, ex ore et faucibus belli quo per id temporis urbs patria atque Æmilia tota saevissime jactabatur, ereptus pater confugerat; ibique tranquillo et quieto animo bonarum artium, quas (3) publice etiam docuit, studiis vacans, diu commoratus est. Quocirca nostra hac aetate non defuere qui filium ejus Serravallensem dixerint; quodque magis dolendum est, utriusque nonnulla Carmina hoc titulo novissime typis Florentiae tradita prodierint. Nos autem, pace virorum hujusmodi, paternae originis locum potius, quam natalis ejus spectantes, Forocorneliensem M. Antonium appellandum esse profecto statuimus. Siquidem ille apud exteras gentes natus, Cornelii Forum velut patriam suam ita semper dilexit, ita coluit, ut ceteris urbibus praeferendam esse omnino duxerit; quod et ipse Caesari Flaminio Forocorneliensi patrueli suo testatus est; sic enim de patriae laribus (4) cecinit:

Vos tamen semper mea mens amabit,
Me licet Parcae rapiant ad orbem,
Zona quem Solis dirimit corusco
Torrida ab igni.

(1) M. A. Majorag. Orat. x.
(2) Vide Epistolam Mancurtii ad Cajet. Vulpium in fine Carminum M. A. Flam. hujus Edit.
(3) Leander Albert. in Descript. Italiae.
(4) Carm. lib. I. num. xxxi.

Hieronymo Pontano quoque Forocorneliensi, juveni in primis docto, amorem suum erga Forum Cornelii patriam suam plane ac perspicue his versibus (1) declaravit.

Ante urbes alias, et ante me ipsum
Illam semper amavi, et usque amabo,
Dum sensum mihi caelites amandi
Concedent.

Quapropter et se Forocorneliensem in Epistola ad Andream Bentivolum, Bononiensem Patricium, ipsemet appellavit, eumque praeclari qui de illo scripserunt, Literati Viri, Leander (2) Albertus, Simon (3) Fornarius. Jo. Matthaeus (4) Toscanus, Jacobus Augustus (5) Thuanus, et alii quamplurimi Forocorneliensem dixere, paternae originis locum natalis loco potiorem existimantes. Noverant enim, illam esse germanam patriam, si Tullio (6) fides habenda est, ex qua originem stirpe antiquissima ducimus, ubi sacra, ubi genus, ubi multa majorum vestigia. Quod maxime perspiciens genitor filii sui studiosissimus, quem propter egregiam ac eminentem ingenii indolem, tum patriae, tum generi, sibique maximo futurum ornamento praesentiebat, illum sic est (7) alloquutus:

Nate, decus patriae, generis laus ampla, tuique
Certa quidem spes et gloria summa patris.

Contigit quidem, ut M. Antonius in Serravalle oppido nasceretur: sed ita illorum temporum vicissitudines tule-

(1) Carm. lib. v. num. xlv. Apud Leandr. Albertum de Viris Illustr. Ord. Praedic. lib. v.
(2) De Viris Illustribus Ord. Praed. lib. iv. et in Descrip. Ital.
(3) In Exposit. Poem. Lud. Areosti, Cantu 46.
(4) In Epigram. in ejus laudem.
(5) Histor. lib. ix.
(6) Cicero de Leg. lib. ii.
(7) Epigram. lib. iii.

runt, quibus Jo. Antonius pater (ut diximus) bellorum quae tunc in Æmiliam irruperant, tumultum aufugiens, dulcis litterarum otii amantissimus, in Tarvisinam provinciam concessit. Caeterum ibi sedem haud fixit perpetuam; quum rebus Æmiliae compositis, una cum filio, ut mox dicturi sumus, Cornelii Forum repetiverit. Quemadmodum etiam Francisco Petrarchae, ac Ludovico Areosto, ut alios ex Italis eximios viros omittam, hoc idem evenisse exploratum habemus; nam primus Arretii, alter Regii Lepidi natus est: verumtamen Petrarcham Florentinum potius quam Arretinum, Areostum Ferrariensem citius quam Regiensem appellant omnes. Sed non est hic disputationi locus.

Itaque M. Antonius a prima adolescentia, genitoris sui (1) optimi praeceptoris opera, fuit omnibus iis rebus praeditus quibus ea aetas ornari potuit; scientia bonarum litterarum, suavitate morum, vitae innocentia atque elegantia. Ad studia vero ingenii aciem adeo intendit, ut in Latinos Graecosque (2) auctores, quos assidue perlegebat, observationes et annotationes conscripserit; sed quum praesertim probus adolescens Poesi natura ipsa (3) valeret, Silvarum scripsit libellos. Interim quum Æmilia provincia a furore belli, quo jamdudum exarserat, erepta esset, atque a tyrannidis emersa fluctibus respiraret, ex oppido Serravalle ad Forum Cornelii patriam suam filium suum a se optime Latinis Graecisque litteris institutum genitor amantissimus secum duxit, anno illo faustissimo quo Leo X. erga Litteratos Viros benevolus ac munificus Princeps ad Summum Pontificatum evectus fuerat. Ad illum igitur solers (4) pater, quum propriae, tum filii augendae gloriae percupidus, e patrio nido eruditum fi-

(1) Jo. Ant. Flam. de Instit. liberorum.

(2) Idem ibidem, et Epist. ad Leonem x.

(3) Jo. Ant. Flam. Epist. ad M. Cardinal. Cornelium. et Epigramm. lib. III. ad M. Ant. filium.

(4) Idem de Instit. liberorum.

lium suum, decimum sextum aetatis annum vix supergressum, emisit. Cujus quidem eruditionem ex litterariis opusculis, doctisque responsis conjecit litteratissimus Pontifex, atque adeo fuit admiratus, ut in ejus laudem carmen illud (1) Virgilianum de Ascanio protulerit:

Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra.

Hujus autem eximiae laudis testes fuere tres amplissimi Cardinales, Marcus Cornelius Venetus, Hippolytus Atestinus Ferrariensis et Ludovicus Aragonius, quibus adolescens Flaminius fuit carissimus. Interea Romae aliquandiu commoratus, apud insignes eruditione viros (2) Jo. Baptistam Pium et Philippum Beroaldum juniorem Leoni X. a Bibliotheca, diversatus est, eorumque consiliis et re plurimum fuit adjutus. In patriam postea reversus, una cum genitore menses aliquot jucundissime transegit.

Verum excellentiores comparandi sibi disciplinas flagrantissimus, mox Bononiam, patre annuente, profectus est, ubi Philosophiae totum se tradidit. Quo etiam tempore, Leandri (3) Alberti rogatu, Vitam B. Mauritii Pannonii Ordinis Praedicatorum orationis facilitate ac elegantia singulari descripsit, quam Andreae Bentivolo Bononiensi Comiti, a quo fuerat in contubernium receptus, nuncupavit. Dum autem se Bononiae continuit, jucundus erat Achilli Bocchio; a Leandro Alberto (4) propter ingenuas virtutes veluti filius dulcissimus amabatur; versabatur cum Ludovico Beccatello, Francisco Bolognetto, Gaspare et Federico Elephantutiis; Baptistam vero, Julium, Franciscum, Andream, totamque Bentivolorum do-

(1) Æneid. l. iv.

(2) Jo. Ant. Flam. Epigramm. lib. 3. ad Phil. Beroald. et ad Jo. Bapt. Pium.

(3) Albert. de Viris Illust. Ord. Praed. lib v. et ibidem Jo. Ant. Flam. in Epist. ad eumdem Albertum.

(4) De Viris Illustr. Ord. Praedic. l. v.

mum devinctam consuetudine quum teneret, summo afficiebatur honore. Quapropter quum ad amicitias conjungendas ingentem vim habeat studiorum, voluntatum, ac morum similitudo, illustriores Italiae urbes peragravit, quosque sibi similes reperit viros in perpetuam firmamque amicitiam sibi conjunxit, studiorumque suorum adhibuit socios. Nam Mantuae et Urbini, Balthassaris (1) Castilioni, eorumque litteratorum qui Urbinatum Principis aulam exornabant, doctissimae consuetudinis fructum percepit: tum jussu Ludovici Sperantiae Carminum suorum libellum cum Marulli Naeniis emisit, Fani impressum anno 1515, cum ipse vix duodeviginti natus annos esset. Veronae postea cum (2) Hieronymo Fracastorio, Adamo Fumano, Francisco Turriano; Venetiis cum M. Antonio Sabellico, Stephano Saulio, Julio Camillo, Aloysio Priulo, Hectore Cocchio, Bartholomaeo Riccio, Paullo Manutio, Andrea Naugerio ac Petro Bembo; Patavii cum Cristophoro Longolio et Reginaldo Polo; Florentiae cum Laelio Torello, Petro Victorio ac Joanne Casa; et alibi aliis cum eruditis doctisque viris familiarissime studiorum caussa versatus est.

Romae tunc temporis commorabatur, quum Longolius perduellionis ipsa in Urbe falso insimularetur. Flaminius igitur, qui dudum Longolii integritatem exploratam habuerat, in amicum sibi carissimum, ut ab injuria, et periculo (3) eum liberaret, studium suum omne contulit: iis namque viris elegantiore doctrina instructissimis, ingenua animorum probitate excellentibus atque totius vitae innocentia spectatis, qui totis viribus Longolium tuebantur, sese junxit; ex quibus ipse unicus fuit qui Longolii Defensionem Romae omnium in oculis recitaverit;

(1) Flamin. Epist. ad Bocchium, ad Sperantiam, et ad Mazolum in eodem libello.

(2) Ex Epistolis Flaminii, Sabellici, Longolii, P. Manutii, Barth. Riccii. etc.

(3) Longol. Orat. 2.

quod Sadoletus Longolio per litteras his plane verbis (1) nuntiavit: *Nostris vero neque sic tacitum ferendum visum est; sed quum exstaret Defensio tua, quam pro te ipse conscripseras, primo decretum est, dandam operam esse, ea uti recitaretur: operam suam ad hoc pollicente* Flaminio, *adolescente in primis ornato hujus civitatis*. Longolius autem erga Flaminium gratissimus, ejus generi, ingenio, virtuti, moribusque multum tribuit: cumque medicus quidam, impurus homo, in Flaminium ejusque parentem convicia evomuisset, eumque paedagogum esse et paedagogo patre, avoque natum diceret, Longolius Flaminii honorem adeo tutatus est, ut non solum hominis amentiam (2) riserit: sed et petulans mendacium flagris coercendum judicaverit.

Excolendae vero Christianae virtutis gratia, sanctissimorum virorum familiari consuetudine Flaminius usus est, cum Venetiis ageret, eosque christianae benevolentiae vinculo sibi arctissime copulavit. Sapientia, ac pietate summa illustris aetate illa eminebat inter Camaldulensis Ordinis Montis Coronae, quos vocant, Monachos, Paullus Justinianus patricius Venetus: hunc saepe Flaminius adivit, cum eo de mundi contemptu, de caelesti sapientia ac beatitudine comparanda, de cognitione et amore Dei, de rerum divinarum contemplatione communicavit: quod quidem ejusdem Justiniani litterae (3) ad Flaminium de vera hominis felicitate, Italico, sed divino, sermone ac stylo disertissimo conscriptae, typis traditae, testantur.

In iis itaque praeclaris Italiae urbibus, et in Italia tota exorientis ejus laudis splendor augebatur in dies magis; eoque magis percrebuit, quum se scriptioni dedit, ut ita in utroque orationis genere uberes ingenii sui fructus posteritati praestaret.

(1) Jacob. Sadoletus Epist. ad Longol. lib. v. Epist. Clarorum Virorum ad eumdem Long.

(2) Longol. Epist. lib. II.

(3) De his litteris Lucas Hispanus in Romualdina, pag. 123. et 139.

Idcirco, sicut jampridem, quum adhuc adolescens, nullo impellente, sed suapte natura, ingenii ac styli exercendi gratia elegantissima Carmina scripsisset, ita confirmata jam aetate, quippe qui jamdudum sapientiae studia cum utraque lingua conjunxerat, amicorum hortatu atque impulsu, ad rerum divinarum scriptionem animum adjecit. Philosophiae, ut superius diximus, toto animo deditus, Aristotelis libros summa cum voluptate perlegit, prae caeteris autem duodecimum (1) de Prima Philosophia, in quo de Deo, deque ceteris mentibus singularibus ac sempiternis disputatur, perobscurum quidem ac intellectu difficilem; quocirca propter ejusmodi libri excellentiam faciendum putavit Flaminius, ut illum ex Graeco in Latinum diligentissime verteret, atque oratione sua tantae obscuritati aliquid luminis afferre contenderet. Quod etsi antea quamplures homines docti pro viribus tentassent, orationis tamen elegantia contempta, solum in rerum cognitione versati fuerant: Flaminius vero obscuras res ita dilucide ac copiose tractavit, ut Aristotelis semper vestigiis inhaerens, pure ac ornate simul pro rerum dignitate omnia explanaverit. Sed ubi parum Philosophus cum Christiana Theologia convenit, Philosophiam Flaminius (2) deseruit, Religionem unice amplexus; qua quidem in re sequutum se fuisse viri sanctissimi Thomae Aquinatis exemplum atque doctrinam, palam professus est. Quam interpretationem, nisi infirma valetudo, qua multos jam annos gravissime afficiebatur, eum prohibuisset, in omnibus Aristotelis operibus fuisset persequutus. Eamdem porro explanationem Joanni Matthaeo Giberto Veronensi Episcopo patrono suo destinaverat, quippe qui eum domi suae tunc aleret, ac ejus studia praestanti liberalitate sustentaret. Verum Gibertus maluit hoc munusculum Paullo III. Pontifici Maximo a

(1) Epist. Dedicator. Paraphr. in XII. lib. Arist. de Pr. Phil.
(2) Eadem Paraphr. pag. 23. Edit. Paris.

Flaminio deferri. Quae quidem Paraphrasis tum illustribus viris Hieronymo Fracastorio, Bartholomaeo Riccio, Paullo Manutio, Petro Victorio summopere placuit, tum eidem Pontifici jucundissima fuit propter illius ingenii felicitatem, qua reconditos Philosophi sensus plane ac uberrime fuerat interpretatus.

Praetereundum vero hoc loco minime est, quod cum idem Gibertus Donato Veronensi Eusebii Caesariensis libros decem de Demonstratione Evangelica e Graeco in Latinum vertendos tradidisset, Flaminii studio et opera plurimum usus est, ut ita libri in primis latinitate egregie donarentur, atque ex praeclarissimis typis Venetiis apud Aurelium Pincium emendatissimi prodirent. Quocirca Paullus III. Pont. Max. cujus nomini inscripti libri fuerunt, Flaminii gratia amplissimis litteris (1) cautum esse voluit ne quis alius impune eos libros intra decennium excuderet.

Ubi vero ad Sacrarum Litterarum studia (eodem Giberto (2) duce atque Alberto Pighio Campense doctissimo viro praeceptore) traduxit animum, illis adeo est incensus, ut earum assidua lectione mirifice fuerit oblectatus, atque in eas non modo perscrutandas, sed etiam illustrandas acrius graviusque incubuerit. Ex iis namque Psalterium Davidicum (3) ex Hebraeo in Latinum vertendum atque explicandum sibi statuit; quod brevi quidem, sed aperta admodum paraphrasi, et explanatione perspicua exornavit, optimis idcirco Psalterii unum in locum coactis veterum Patrum commentariis, ex quibus ea libavit, quae ad historicam explanandi rationem praesertim essent accommodata: tum etiam eloquentiae splendore, ac Latinae orationis elegantia, quae res divinas maxime decet, expolivit. Suam itaque Paraphrasim in triginta duos Psalmos, Giberto obsequutus, Paullo III.

(1) Initio eorumdem libror. Edit. Venet. 1536.
(2) Fracastor. Carm. ad Flamin. et ad Florim.
(3) Epist. Dedicator. Paraphr. et Explanat. in Psal.

misit. Explanationem vero, quam postmodum in omnes Psalmos absolvit, Alexandro Card. Farnesio, a quo novis in dies beneficiis augebatur, rem gratissimam illi facturus, nuncupavit. Quinimo Paraphrasim in triginta Psalmos, quam soluta oratione condiderat, carmine etiam elegantissimo reddidit Tridenti quum esset, eidemque amplissimo Cardinali dicavit.

His igitur quum sapienter, tum ornate ab eo conscriptis, a quo nihil nisi elegans et limatum exspectari potuit, eruditorum hominum ac principum ita desiderium explevit, ut illum primi eximiis laudibus, beneficiis ac honoribus alteri complecterentur. Nam, ut a laudibus exordium sumam, Christophorus (1) Longolius, cui quum perpetua animorum voluntate, tum firma studiorum societate Flaminius ab extrema adolescentia fuit conjunctissimus, incredibilem ejus in omni percipienda humaniorum litterarum vi assiduitatem, vehemens vero in perdiscendis naturalibus divinisque rebus studium ita laudavit, ut ingenio, industria, virtute aequales suos omnes longe superasse Flaminium minime dubitaverit. Quin etiam illius Latinae scriptioni tantum tribuit, ut quum ab eo Latinas Epistolas expeteret, sic una cum illo per litteras (2) fuerit colloquutus: *Tu si gravabere mihi Latine scribere (scio enim quam hoc in genere tibi numquam satisfacias; qui ceteris, mihi crede, satisfaceres, si quantum in eo valeas, tantum auderes) per me quidem Italice scribas licet.* Verum in hoc scriptionis genere omnibus cumulatissime satisfecit. Quidquid enim soluta numeris oratione descripsit, Tullianam dictionem et elegantiam redolet; ut propterea Bartholomaei (3) Riccii, Q. Marii (4) Corradi, aliorumque litteratorum hominum judicio Tullium penitus effinxerit. Quanta autem felicitate

(1) Longol. Epist. ad Lael. Maximum. lib. 2. Epist. 6.
(2) Epist. ad M. Ant. Flam. lib. 2. Ep. 21.
(3) Riccius de Imitatione. lib. 2.
(4) Corrad. lib. 4. Epist. num. 93.

ingenii, et varietate poematis et venustate Carmina condiderit, nihil attinet dicere, quum praecipue Petri (1) Victorii sententia Pindarum et Catullum, eorum vestigiis inhaerendo, persequutus fuerit, quumque ingenii acumine neutri eorum valde cesserit. Quod et perspiciens, vel suspiciens potius Hieronymus Fracastorius, dum insigniores aetatis suae litteris excultos viros alloqueretur, Flaminium hac amplissima laude (2) exornavit · *Noscimus omnes* M. Antonium Flaminium *sanctissimum quidem virum, et utriusque linguae doctissimum, Reginaldi Poli Angli, nobilissimi juvenis, familiarem, et, quod in prima laude ponendum est, Poetam nostri saeculi eximium.*

Neque solum ex Italis eruditissimi, sed et apud exteros quoque doctissimi viri eum summopere admirati sunt ac summis laudibus prosequuti; adeo ut Gallus quidam Poeta (3) illustris pro certo duxerit, Flaccum, Aristotelem, Tulliumque in uno renatos fuisse Flaminio. Sed, ut alios praeteream, satis erit hic unice in medium afferre Joannem Gagnaejum, Parisiensis Academiae Cancellarium, insignem Theologum. Etenim quum esset ille Poetarum amator, eorum maxime qui puri sunt et casti, atque inter ceteros M. Antonii Flaminii admirator et observator, varia ejus Epigrammata, Hymnosque una cum iis doctissimorum aetate sua Italorum collegit, ac in publicum ea prodire voluit Lutetiae per Nicolaum Divitem. Illud vero quod ad ingentem Flaminii laudem interest, nunc referam. In varias hic Odas Davidicos Psalmos converterat; sed quum primum Flaminius ad lyram triginta Psalmos edidit, Gagnaejus illos ita suspexit, ut de suis aut omnino delendis, aut certe occultandis cogitaverit. Quod animi sui consilium in epistola ad lectorem his verbis aperuit: *Postea autem quam M. Antonius Fla-*

(1) Victor. Var. Lect. l. 9. c. 9.
(2) Fracastor. de Intellectione lib. 2.
(3) Salm. Macrinus Epigramm.

minius, vir nostra aetate Orator, Poeta, Philosophus ac Theologus summus, Lyricos suos in publicum edidit, premendarum paene atque abolendarum auctor mihi harum Odarum fuit; suspicanti videlicet, post tam doctos versus, ingratas insipidasque fore eruditorum hominum palato nostras nugas. Quapropter certum erat aut abolere prorsus, aut latentes apud me diutius retinere, nonumque, juxta Horatii sententiam, in annum premere. Quae quidem huc a nobis allata sunt non solum ut quanti easdem Flaminii Odas Gagnaejus fecerit, ostendamus, verumetiam ut illas a nimis censorio Ludovici Castelvitrei, critici sui temporis omnium acerrimi, judicio tueamur. Flaminium enim carpere is ausus est, quod in iis Odis locutiones minus Latinas usurpaverit. Verum ab illustrium Virorum (1) Academia, Romae tunc temporis celebri, Castelvitreus est jure optimo redargutus. Ad haec in Flaminii laudem accedit, quod ipse ex nostris Italis primus fuit qui Psalmos versibus illustrare coeperit. Quod et (2) Thuanus tradit, et Flaminius ipse non obscure innuit, dum ait, se hanc paraphrasim carmine inchoasse, confisum fore, ut aliquis alius exemplo suo provocatus, eamdem perficeret. Perfecit autem post Flaminii obitum Pub. Franciscus Spinula; aliique permulti clarissimi viri hoc scriptionis genus pie admodum, et eleganter sunt imitati. Mirum itaque minime videri debet, si quae ab eo tam nitida oratione cum summa sapientia conjuncta, conscripta fuerant, Petro Bembo, Jacobo Sadoleto, Gaspari Contareno, Gregorio Cortesio, Bernardino Maphaejo, Aloysio Priulo, ceterisque hujus ordinis viris essent exspectatissima. digna profecto, ut non modo Francisco Turriano et Stephano Saulio, inclytis doctisque viris Flaminio familiaribus, verumetiam Alexandro Cardinali Farnesio, Margaritae Valesiae, Henrici Gallorum Regis so-

(1) Apolog. in Castelvitreum pro Annib. Caro pag. 158. et 199.

(2) Thuan. Hist. lib. 9. Flamin. Epist. Dedicator. Paraphr. in xxx. Psal. etc.

rori, ac Paullo III. Pontifici Max. ab eodem Flaminio inscriberentur.

Pro his itaque animi sui virtutibus, atque ingenii monumentis ab eximiis et principibus viris praemia illi ultro fuere delata. Nam a Giberto Veronae (1) Episcopo, Ecclesiae bonis, cultoque agello in agro Veronensi fuit donatus: a Benedicto Card. Accolto pretiosis muneribus ornatus; a Guido Ascanio Card. Sfortia quotannis decumis auctus. Item a Rodulpho Card. Pio, a Nicolao Card. Rodulpho, maxime vero ab Alexandro Card. Farnesio amoenis frugiferisque agellis, venusta domo aliisque fortunae bonis ditatus. Sed et praeclaris honoribus fuisset ornatissimus, Episcopali praesertim dignitate, nisi illam firmo constantique animo rejecisset; quippe qui in iis honoris, et dignitatis insignibus nihil prorsus commoveretur, a quibus non pauci praestantes viri ita ducuntur, ut etiam insaniant: quum enim paullo interius rem spectaret, onera quae honorem illum consequebantur, ita ille gravia putabat, ut non viderit quo pacto ea subire ac ferre posset. In primis vero Paulli III. Pontificis Max. erga eum (2) summa exstitit benignitas ac liberalitas, quum illum anno 1542. quo Pontifex (3) ipse ad Carolum V. Imp. in agrum Parmensem colloquii caussa profectus est, una cum clarissimis doctissimisque viris itineris comitem adhibuisset; eumque unum Tridentino Concilio a Secretis constituisset, ceterisque propter illius eximiam eruditionem, doctrinam atque pietatem praeferendum omnino judicasset. Verum Flaminius judicium illud quod Pontifex Max. in eum contulit, quo honorificentius illi esse nihil potuit, tanti fecit, ut judicii honorem quam officii dignitatem

(1) Flamin. Carm. Lib. V. num. xix. Lib. II. num. x. Lib. V. num. ii. Lib. VI. num. xli. Lib. VI. num. xliv. Lib. VI. num. v. etc. Flamin. Epist. Ital. ad Priulum.

(2) Pallavic. Histor. Concil. Trid. lib. 6. cap. 1.

(3) Seb. Corrad. Epist. ad Lect. initio Comment. in Epist. Cic. ad Atticum.

maluerit. Praeterea illius valetudo, qua ipse erat fere semper incommoda, in caussa fuit, quod iis muneribus honorificis aeque ac laboriosis cesserit; qui enim quotidie in ejus stomachum dolores incursabant, et corpus et animum sic exercebant, ut severioribus studiis operam dare, a quibus avelli gravissimum per se erat, corpore affecto animoque exercito, prohiberetur.

Quamobrem valetudinis caussa salubriora sibi loca petebat; modo enim (1) Taburni in Campania, Sirmionis modo in agro Veronensi amoenissima rura, atque alibi suburbana peragrabat. Interdum vero, immo saepe, ab amicis atque a clarissimis viris invitatus, ruri apud eos agebat. Namque in Garziano (2) apud Ludovicum Canossam; in agro Genuensi in peramoena villa apud Stephanum Saulium una cum Julio Camillo et Sebastiano Delio; Neapoli apud Ferandum Brancatium; Casertae apud Jo. Franciscum urbis illius munificum principem; in villa Mariana apud Victoriam Columnam, cujus animi corporisque eminentem effigiem versibus eleganter expressit; Viterbii etiam cum Reginaldo Cardin. Polo Legato ob tuendam valetudinem animumque a curis levandum, tranquillam vitam quandoque egit; ita tamen, ut tempus illud cum suavissimis eruditisque amicis in litterarum otio, quasi Platonico instituto, transigeret. Ea propter in suburbanis hortis Tridentinae urbis cum M. Hieronymo (3) Vida, diuturna sibi consuetudine conjunctissimo, doctissimam de Republica disputationem habuit, praesentibus Jo. Mario Montio, Marcello Cervino, eodemque Reginaldo Polo Cardinalibus, tunc temporis Tridentino Concilio Legatis praesidentibus, qui eumdem Flaminium magnifice, copiose atque composite disputantem sunt admirati. Statuit igitur, omnibus postbabitis, cum ceteris quos

(1) Flamin. Carm. lib. IV. et alibi.

(2) Lib. V. num. xlii. B. Riccius Dial. de Judicio. Flamin. Carm. Lib. V. num. xvi. Lib. VI. num. xx. Lib. I. num. xxxiii. Lib. V. num. xxxi.

(3) Vida Dialog. de Repul. lib. 1.

illi communia litterarum studia conciliarant, reliquum omne aetatis suae tempus tranquille ducere; quo nihil ei accidere potuit optatius. Si quando autem eorum conspectu et contubernio caruisset, cum iis absentibus per litteras colloquebatur; in quibus plane perspicitur quam doctus quam humanus quamque elegans esset, in iis praesertim (1) quas hendecasyllabo conscripsit carmine, quod quidem epistolarum scribendarum genus egregium, in morem sibi familiarissimum induxit. Quas vero Etrusco sermone conscripsit, tam humaniter tam eleganter arguteque contexuit, nihil ut ingenii luminibus quae in eis plurima elucent, nihil ut praeclara effigie pietatis ejus quae in illis expressa est, fieri possit illustrius. Duas ex iis habet de instituendis juvenum animis in politioribus litteris, unam ad Galeatium Florimontium, ad Aloysium Calinum alteram, quam Bartholomaeus (2) Riccius, Latinae orationis peritissimus, ita probavit atque extulit, ut rationem illam breviorem ac faciliorem, quam Flaminius Calino tradidit de filio ejus in hisce studiis informando, eamdem Riccius in instituendo Ferrariensi Principe Atestino sequutus fuerit. Quare quum a Grammaticis sui temporis in erudienda juventute plurimum dissentiret, vehementer optabat, ut optimi praeceptores suam ac discipulorum dictionem ad praestantem illam Ciceronis dicendi formam revocarent, eumque solum ex Oratoribus imitandum illis proponerent, eisdemque hanc legem indicerent ne aliis, atque a Cicerone sumptis verbis uterentur ad omnia fere quaecumque animo concepissent exprimenda; quum abunde ex illo uno lectissima quaeque suppeterent. Dolebat vero, quod nonnulli, cetera docti, bonarumque artium cultores, Erasmi ac Melanchthonis stylum extollerent atque admirarentur; quem semper ipse rejecit ac improbavit, utpote qui illum Tulliani styli lon-

(1) Lib. v. et vi.
(2) Ricciu. Epist. ad M. Ant. Flamin. lib. 5.

ge dissimillimum, judicio suo atque unanimi praestantium virorum mente statuebat. Erasmus enim, quemadmodum (1) Jovius animadvertit, fervido properantique ingenio suo nimium confisus, verborum novitate usus est, Latinorum veterum loquutione contempta; *ut propterea*, Q. Marii Corradi (2) judicio, *longa sua disputatione, in Italia juventutis rectissima studia labefactaverit. Non audivere tamen illum aut Flaminius aut Manutius meus aut Bembus aut illius collega Sadoletus aut Perionius aut Contarenus aut innumerabiles doctissimi viri, qui sapientissimis consiliis et scriptis luculentissimis nos et omnem Italiam ab illa barbarie ad antiquam Latine scribendi consuetudinem traduxerunt*: haec Corradus. Quantum itaque laudis atque existimationis in oratione Latina Erasmo Flaminius denegavit, tantum Longolio tribuit. Erasmus namque Ciceronianum suum occulto livore suffusum in Longolii (3) convicium construxit; verum Flaminius, qui non solum in Poetarum, sed etiam Oratorum coetu aetatis illius eminebat, et utriusque generis hominum existimator habebatur acerrimus, contumelias sibi a quibusdam imperitis Grammaticis illatas nihili faciens, Longolium ab insana quorumdam opinione vindicavit, asseveranter affirmans, eumdem Erasmo in Latina scriptione longe multumque praestare. Quod et Bartholomaeus Riccius his plane verbis (4) confirmavit: *Age vero sumatur ex Longolio, quam casus obtulerit ex ejus voluminibus, Epistola: deligatur autem ex universo Erasmo (quando is Ciceronianum suum in Longolii calumniam confabricavit) quae optime scripta sit, quae germane Germana non sit; conferatur; Latini adhibeantur disceptatores; peream ego male, ni Romae Longolius et natus*

(1) Jovius in Elog.
(2) Corrad. lib. 4. Epist. n. 96.
(3) Longol. Epist. lib. 4. n. 8. ad Flamin.
(4) B. Riccius de Imitatione l. 3.

esse, et altus: ille autem nunquam Latinum hominem legisse judicabitur.

Tantum igitur in re litteraria illius judicio a Litteratis omnibus tributum fuit, ut non pauci eorum, scripta quae in lucem ederent, judicio ejus tam singulari expendi prius expeterent. Itaque (1) Bartholomaeus Riccius, qui propterea in Dialogo suo de Judicio Flaminium cum Julio Camillo ac Sebastiano Delio disputantem induxit, Apparatum Latinae Loquutionis; Antonius Mirandula de Philosophia libellos; Joannes Casa Galatheum; Petrus Victorius Aristotelis Rhetoricam; Jo. Franciscus Binus suos Italicos versus; Sebastianus Corradus (2) Commentarios suos in Epistolas Ciceronis ad Atticum; aliique permulti suas elucubrationes, Flaminio consulto ac approbante, pervulgarunt.

Sed quum gravissimum judicium sit secus de se suisque rebus judicare, Flaminius omnia sua ad eruditorum hominum judicium deferebat. Quo factum est, ut nisi rogante Jo. Matthaeo Giberto, precante Aloysio Priulo, Reginaldo Polo, Bernardino Maphaejo, omnibus doctis viris ac amicis nitentibus, quibus ingenii ejus monumenta fuere spectatissima, nihil unquam in vulgus ederet. Edidit autem eo potissimum consilio, ut si quid esset consequutus quo posset prodesse quamplurimis, id totum ad communem utilitatem conferret; utque id consequeretur omni studio contendit.

Carminum suorum judicem (3) candidum Basilium Zanchum habuit, et Ulyssem Bassianum etiam censorem adhibuit; ad quos iccirco plures dedit epistolas de nonnullis

(1) Idem in Dialogo de Judicio, et lib. V. Epist. ad Flaminium.
Flam. Epist. Ital. ad Carol. Gualterut. et Carm. l. v. num. xi. et num. xx. et num. xxxvii. Flamin. Epist. Dedic. Paraphr. in XII. lib. Arist. de Prima Philos. et Paraph. in Psalm. et Explanat. in eosdem. Epist. Ital. ad Nic. Archium, et ad Ulyss. Bassianum.

(2) Epist. ad Lect. initio Comment.

(3) Flamin. Carm. l. v. num. xxiii. l. vi num. lxi. et Epist. Ital. ad Bassianum.

Latinis vocibus ac poeticis loquutionibus quibus ipse in suorum Carminum libellis usus est. Ad Galeatium (1) Florimontium item epistolam misit disertissimam, qua docte ac pereleganter quorumdam Carminum suorum argumentum, inventionem ac vim poeticam a nimia judicii illius severitate vindicavit. Fernandum (2) Torrem, Laelium et Hippolytum fratres Capilupos, aliosque doctos homines qui nimium eruditas aures ad audiendum afferre consueverant, rogavit ut Carminum (3) suorum libellos severo judicio expenderent, ac quidquid in iis illepide et minus Latine dictum invenissent, calami litura notarent. Sed illa fuere omnibus probatissima atque exoptatissima, ut propterea Augustus Coccejanus, Vincentius Gerius, M. Antonius Faita aliique studiosissimi juvenes diligenter ea exscriberent atque ad eruditorum manus transmitterent; quae quum ad (4) Marium Galeotam Neapolitanum illustrem virum, ad Blosium Palladium praeclarum Poetam, atque ad Q. Marium (5) Corradum Oratorem eximium pervenissent, hi tanta voluptate ex eorum elegantia sunt capti, ut de iis in lucem edendis Flaminium ipsum enixe rogaverint. Prae ceteris autem (6) Caesar Flaminius Forocorneliensis M. Antonium patruelem suum hac de re plurimum oravit; sed nihil ab eo, quantumvis indulgentissimo, impetrare potuit; quippe qui constanter sapienterque assereret: *Non convenire viro gravi ac propemodum quinquagenario, se gravioribus studiis occupanti, juvenilium ludorum quibus olim exercendi styli atque ingenii gratia, quum adolescens adhuc esset, operam dabat, ea nunc aetate plausibus ullo sese modo oblectare.* Contigit autem ut Caesar ad amplissimum patronum suum

(1) Epist. Ital. ad Florimontium.
(2) Carm. lib. VI. n. XXVII. l. V. n. LI.
(3) Carm. lib. VI. num. XXVI. Epist. Ital. ad Bassian.
(4) Carm. l. V. n. XLI. lib. V. n. XLII.
(5) Corrad. Epist. l. 2. n. 28. ad Rullum.
(6) Caesar. Flam. Epist. ad August. Gallum.

Cardinalem Trivultium ex Italia Lugdunum proficisceretur: igitur hanc nactus occasionem, candidissima Carmina, sua serie atque ordine in duos pridem libellos a M. Antonio digesta atque emendatissima, una cum Psalmorum Paraphrasi versibus scripta, Lugduni apud Sebastianum Gryphium diligentissime imprimenda curavit anno quingentesimo quadragesimo octavo supra millesimum. Quo pariter anno Venetiis apud Valgrisium Bembi, Naugerii, Castilioni, Cottae, et Flaminii nostri Carmina prodiere, in unum congesta volumen, cui inscriptio est: *Carmina Quinque Illustrium Poetarum*. Verum de multiplici Carminum ejus editione loco suo referemus. Quantam vero laudem Flaminii versus apud Litteratos omnes tam in Italia, qnam extra Italiam fuerint consequuti, hoc unum dicam: Margaritam Valesiam Henrici Gallorum Regis sororem utriusque linguae peritissimam, tam mira animi voluptate in iis legendis fuisse affectam, ut illos suavissime caneret. Ad quam deinde sacrorum Carminum libellum misit, quae quidem summam in Deum Flaminii pietatem ac religionem praeseferunt.

Quum itaque inter clarissimos viros qui aetate sua velut principes et lumina litterarum habebantur, Flaminius coruscaret, a Ludovico (1) Areosto et a Jo. Georgio Trissino inter excellentiores suorum temporum Poetas relatus est; a Paullo (2) Jovio in Illustrium Litteratorum Virorum Musaeo, quum adhuc viveret, ejus imago fuit collocata; quam etiam apud Petrum (3) Victorium diligenter olim expressam Reginaldus Card. Polus post Flaminii obitum ex urbe Florentia Romam accivit, ut illius oris effigies in oculis, et imago vitae in animo sibi perpetuo versaretur. A plerisque tandem illius saeculi Litteratissimis Viris multiplici scriptorum testimonio et novo genere laudis fuit exornatus.

(1) Areost. Cant. 46. Trissin. Ital. Liber. etc. l. 24.
(2) Jov. de Viris. Illustr.
(3) Victor. Epist. ad Card. Polum.

Ne vero illud quod maximi momenti est, praetermisisse videar, de Flaminii religione nunc referam quod mihi compertum est. Neque enim me fugit, ex quorumdam depravatorum hominum consuetudine Flaminium, alioqui probis virum moribus, in errores qui calamitosa nimium aetate illa in mentes etiam praestantium hominum irrepserant, aliquando fuisse prolapsum; e quibus demum Divinae Clementiae beneficio, Reginaldi Cardinalis Poli (1) sanctissimo contubernio ac Joannis Petri Caraphae Cardinalis, qui postea ad summum Pontificatum evectus Paullus IV. est appellatus, admirabili prorsus ope evasit; nam quum febri et saevo lateris dolore correptus, supremum vitae diem paene ageret, Carapha ingenti illo quo flagrabat salutis animorum studio, fusis ad Deum precibus, clientem Flaminium sibi carissimum ex gravi tum corporis, tum animi, quod illi imminebat, periculo eripuit. Itaque ut convaluit Flaminius, grati animi caussa, ad Hieronymum Turrianum (2) elegantem Hendecasyllabum misit in laudem Jo. Petri Card. Caraphae, quod maximum sibi a Deo beneficium precibus suis impetrasset; elegantique pariter (3) carmine Deo gratias egit, cujus benignitate e maximis periculis ereptus esset atque ad viam salutis revocatus; eumque humillime exoravit ut quod reliquum sibi vitae superesset, pie sancteque sibi degendae daretur facultas. Interea amici ac sodales summae laetitiae et gratulationis officiis illum complexi sunt; nam, ut reliquos silentio involvam, unum afferam Joannem Antonium Vulpium Comensem illustrem Poetam, qui praeclaro (4) Hendecasyllabo ingentem animi sui laetitiam de Flaminii insperata subitaque valetudine, seu potius de vita illi red-

(1) Lud. Beccatellus in Vita Regin. Card. Poli Pallavic. Histor. Conc. Trid. lib. 6. cap. I. Ant. Caracciol. in Vita Paulli IV.

(2) Flam. Carm. lib. vi. n. xxxix.

(3) Lib. Sacror. Carm.

(4) I. Edit. Comin. p. 337. et II. p. 352. Vide et hanc Edit. inter selecta illust. poet. de Flamin. testimonia.

dita, Francisco Taurello illustri viro significavit. Sed et principes (1) viri, Patresque amplissimi Raynutius Farnesius, Rodulphus Pius, Michaël Silvius, Franciscus Sfondratus, Nicolaus Rodulphus, Andreas Cornelius Cardinales, qui decumbentem Flaminium doluerant, eumdem postea incolumem gratulationibus humanissime exceperunt. In eum quoque summi viri (2) Hieronymus Seripandus, Augustinianae Familiae Theologus, et Ægidius Foscherarius, Sacri Palatii Magister, humanitatis ac benevolentiae studia contulerunt. Ut autem valetudini suae magis consuleret, pietati vero ac religioni liberius vacaret, Urbe relicta, (quod jam pridem ipse cogitaverat, et Caesar Flaminius et Hieronymus Pontanus jamdudum exoptaverant) ad Cornelii Forum Patriam sibi carissimam demigrare statuerat; ibique quod reliquum sibi vitae esset, conquiescere, et ad Lavinum amoenum, nitidum, salubrem agellum suum aliquando (3) divertere, ubi cum Ludovico Beccatello, Federico Elephantutio Bononiensibus, ac Hercule Severolo Faventino, amicis jucundissimis, dulci litterarum otio sibi frui daretur. Verum secus ac illi in optatis erat, evenit. Nam Reginaldus Card. Polus qui jamdiu Flaminium in intimam familiaritatem suam et contubernium receperat, quique ex suavissimis ipsius sermonibus summam jucunditatem, ex amantissimis consiliis maximum fructum in omni actionum suarum genere perceperat, illum a se divelli nequaquam est passus; ejusque opera, virtute ac industria tunc maxime (4) usus est, quum mortuo Paullo III. comitiisque pro futuro Pontifice Maximo eligendo institutis, in iis una cum Aloysio Priulo illum sibi socium comitemque adjunxit. Itaque Julio III. Summo Pontifice renuntiato, Flaminius in illam corporis aegritudinem, qua saepius laboraverat, graviter adeo inci-

(1) Flam. Carm. l. vi. ad eosdem.
(2) Flam. Epist. Ital. ad Ulyss. Bassianum.
(3) Flamin. Carm. l. vi. ad eosdem.
(4) Flam. Epist. Ital. ad Bassianum.

dit, ut lateris dolore acutissimo confixus, dubia spe vitae in extremo versaretur discrimine. Pie admodum et catholice eousque vixerat: igitur morbi magnitudine se jam opprimi (1) sentiens, Christum invocat, sine cujus tutela in mala omnia praeceps rucret; dolebatque, se jam senescentem nunquam coepisse Deo ex animo servire, a quo tamen maxima innumeraque in se collata semper essent beneficia. Christi propterea meritis confisus, cujus poenarum assidua meditatio ei dulcis et salutaris erat, noxarum suarum veniam consequuturum fore sperabat, tandemque in extremo vitae constitutus Christo adhaerebat, Christum unice super omnia diligebat, in ejusque amplexu spiritum efflare, atque ex brevi et molestiarum plenissima in aeternam ac jucundissimam vitam migrare exoptabat. (2) Receptis itaque summa animi demissione ac vehementi cordis dolore Poenitentiae et Eucharistiae mysteriis, tum constanti alacrique animo pronuntiata Romanae fidei formula, (libere professus, se cum Orthodoxa Romana Ecclesia omnino sentire, in cujus gremio mori felicius sit, quam ab initio nasci) adstante, omniaque Christianae caritatis officia atque praesidia eodem Jo. Petro Cardinali Carapha illi suppeditante, animam spe bona cumulatam efflavit Romae XIII. Kal. Martii (3) anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, aetatis suae quinquagesimo tertio: sequenti vero die in Æde Nationis Britannicae jussu Reginaldi Card. Poli cui res suas omnes Flaminius commendaverat, sepultus est.

Flaminio itaque immatura morte praerepto, amici omnes et (4) patroni ejus in summo luctu ac maerore versabantur; eoque magis maerebant, quo non ignorabant,

(1) Ex Hymnis sacris quos Flaminius morti proximus condidit.

(2) Ant. Caracciol. in Vita Paulli IV. et Alf. Ciaccon.

(3) Ex Tabulario Basilicae Vaticanae.

(4) Petr. Victor. Epist. ad. Card. Polum. et Pol. Card. Epist. ad Victorium. Barth. Riccius Epist. ad Pignam et ad Victorium. P. Manutius Epist. Ital. ad B. Riccium. etc. Anonym. Epist. Dedicatoria Sacror. Carm. Flaminii.

magnum omnino ornamentum Italiae, defuncto illo, detractum esse. Illud unum autem in tam gravi jactura solatium praebuit, quod praeclara illius Scripta, ex quibus in utroque orationis genere uberes ingenii ejus fructus posteritas percipere posset, penitus non interciderint. Etenim in servandis tam rari atque excellentis viri monumentis diligentiam omnem Polus Cardinalis contulit, aliique amici humanissimi qui lucubrationes ejus omnino perire non sunt passi, sed summo labore collectas, posteritati consulentes, typis tradiderunt. Hoc igitur loco ejus Opera tum edita, tum adhuc inedita, de quibus nobis plane compertum est, referamus.

M. ANTONII FLAMINII

OPERA LATINA EDITA.

Carminum Libellus, et Ecloga Thyrsis. Fani in aedibus Hieronymi Soncini Idibus Septembris 1515. in 8. cum Naeniis, et Epigrammat. Michaelis Tarchaniotae Marulli, M. Ant. Flaminii opera editis.

B. Mauritii Pannonii Vita ad Andream Bentivolum Comitem Bononiensem. Exstat inter Vitas Virorum illustrium Ord. Praedicatorum a Leandro Alberto collectas. Bononiae apud Hieronymum de Benedictis 1517. in fol. Libro V. pag. 217. *Vide Jo. Bollandum Tom. III. Martii die* xx. *pag.* 251.

Paraphrasis in Duodecimum Librum Aristotelis de Prima Philosophia ad Paullum III. Pont. Max. Basileae apud Robertum Winter. 1537. in 8. cum. Jo. Velcurionis Compendio de Anima.

Et Lutetiae Parisior. per Nicolaum Divitem. 1547. Cal. Junii. in 8. *in calce leguntur Hymni duo; scilicet*, In Bonam Valetudinem: *Diva funestis inimica morbis, etc. et* In Dianam: *At te quis tacitam sinat, etc.*

Paraphrasis prosaica in duos et triginta Psalmos, ad Paullum III. Pont. Max. Venetiis in officina Joannis Patavini anno 1538. in 4.

Et Basileae in officina Roberti Winter. 1540. in 8.

In Librum Psalmorum brevis explanatio ad Alexandrum Farnesium Cardinalem amplissimum. Venetiis apud Aldi Filios 1545. in 8.

Repetita editio Parisiis 1545. in 8.

Eadem Explanatio et Paraphrases ejusdem Auctoris soluta oratione in duos et triginta Psalmos; item in triginta Psalmos carmine conscriptae, suo quaeque ordine et loco positae. Lugduni apud Gulielmum Rovillium. 1548. in 16.

Parisiis recusa haec editio apud Mathurinum Dupuys. 1551. in 16. in cujus calce adjecta sunt Auctoris Carmina aliqua de Rebus Divinis ad Margaritam Henrici Gallorum Regis sororem; *post quae leguntur Auctoris Carmen XXXV. lib. VI. primae edit. Comin. et Epistolae P. Victorii, et Reginaldi Poli Card. in obitum Flaminii.*

Item Lugduni apud Gulielmum Rovillium. 1552. in 16.

Et Venetiis in officina Aldina 1564. in 8.

Antuerpiae apud Plantinum.

Lugduni etiam 1576.

Paraphrasis in 30. Psalmos versibus scripta ad Alexandrum Farnesium Cardinalem amplissimum. Venetiis ex officina Erasmiana, apud Vincentium Valgrisium 1546. in 4. *nitidissimo charactere.*

Lutetiae apud Carolum Stephanum, Typographum Regium. 1552. in 16. una cum ejus Carminibus de Rebus Divinis, quibus Auctoris Epistola sequens praefixa est:

Ad Margaritam Henrici Gallorum Regis sororem.

Cum lectissimus et ornatissimus quidam vir de tua singulari erga Deum pietate et assiduo litterarum studio ad me multa scripsisset, hortatusque esset, ut si quid novi elucubratus essem, id ad te mitterem, quod tibi scriptorum meorum lectionem non injucundam esse solere affirmaret: hoc tam praeclaro de te testimonio commotus, et cum hominis amicissimi auctoritate adductus, tum humanitate tua fretus, Carmina quae de Rebus Divinis proxime composui, ad te mittere non sum veritus. In his ego a meo vetere instituto discessi. Davidem enim et

ejus similes poetas imitari malui quam Horatium vel Catullum, propterea quod in scriptione Rerum Divinarum, ut munditiam Latini sermonis et elegantiam adhibendam esse non nego, sic omnem orationis pompam et fucum et calamistros removendos censeo. Itaque, ut C. Lucilius poeta perantiquus dicere solebat, se non Persio scribere, sed Siculis et Tarentinis: sic ego quaecumque de Rebus Divinis scripsero, ea solum religiosis et Litterarum Divinarum amatoribus me scripturum profiteor; quibus sine dubio longe gratius faciam, si stilum ita temperavero, quam si orationem fuco et pigmentis illinam. Tu vero, Margarita, religionis specimen clarissimum, hoc ab homine tibi deditissimo opusculum, quale id cumque est, habeto: quod si non ingratum tibi fuisse audiam, et ex hoc molesto quartanae morbo, quo jam multos menses conflictor, Dei benignitate convaluero, alia a me posthac hujus generis munera exspectato. Vale.

Aliae varietates hujus editionis hae sunt: Carmen ad eamdem Margaritam quod in posterioribus editionibus huic Libello praemittitur, in hac ad calcem rejectum est. Carmen ultimum, ad Christum, in hac non comparet. Paenultimum Carmen hujus edit. est Paraphrasis in Carmen Davidis de morte Saulis Judaeorum Regis et Jonathae ejus filii; quod hic legitur in fine libri septimi. Ultimum vero est Carmen XXXV. libri VI. primae edit. Cominianae.

Carminum Libri II. ad Franciscum Turrianum una cum Paraphrasi in triginta Psalmos versibus scripta; Caesaris Flaminii opera. Lugduni apud Sebastianum Gryphium. 1548. in 8.

Carminum Libri II. congesti sunt in volumen inscriptum: Doctissimorum nostra aetate Italorum Epigrammata:
M. Antonii Flaminii libri duo.
Maphaei (*ita*) Molsae liber unus.
Navagerii, Cottae et Tryphonis liber unus.
Miscellaneorum ex diversis liber unus.

Lutetiae per Nicolaum Divitem. Joanne Gagnaejo collectore in 8. *De hoc volumine vide Primae editionis Cominianae pag.* 263.

In hac Gagnaejana Collectione Epigramma illud Flaminii de Molsa quod incipit: *Postera dum numeros* etc. perperam replicatur, pag. scilicet 16. et 30.

Carminum Libri IV. et Paraphrasis in triginta Psalmos versibus scripta, exstant inter Carmina Quinque illustrium Poetarum. Venetiis apud Vincentium Valgrisium. 1548. in 8.

Eadem repetita editio Florentiae apud Laurentium Torrentinum 1549. in 8. *cujus exemplaria aliquot majori et solidiori charta excusa fuere.*

Carminum Libri IV. ad Franciscum Turrianum.
Liber V. ad Alexandrum Farnesium, nunc primum editus.
Paraphrasis carmine in triginta Psalmos ad eumdem.
Sacrorum Carminum Libellus, longe copiosior quam antea, ad Margaritam Henrici Gallorum Regis sororem.
Exstant inter Carmina Quinque illustrium Poetarum. Florentiae apud Laurentium Torrentinum. 1552. in 8. et 16.

Eumdem omnino Librum Venetiis Presb. Hieronymus Lilius, et socii excudebant. 1558. in 8. *quae omnium pessima et innumeris ingentibusque erroribus scatens editio est.*

Carminum Liber ultimus, ejus Amicorum cura in lucem editus Venetiis 1552. in 4.

Carmina de Rebus Divinis, ex officina Henrici Stephani 1568. in 16.

Rostochii 1558. in 8. et 1576. in 8.

Tiguri apud Froschoverum.

Et apud Hen. Goss.

Hymni Sacri, et Psalmi aliquot carmine redditi. Basileae apud Joannem Oporinum. in 8.

Odae in Psalmos 30. reperiuntur in eo Volumine quod idem Joannes Oporinus inscripsit: *Pii, graves atque elegantes Poetae aliquot* etc. et sine ulla temporis nota Basileae excudit. in 8.

Davidis Regis et Vatis Psalmi a M. Antonio Flaminio et Pub. Francisco Spinula, Poetis elegantissimis, Latinis versibus expressi. Basileae per Petrum Pernam 1558. in 8.

Hymni Sacri cum Hymnis Georgii Fabricii. Basileae.

Carmina aliquot selecta Flaminii exstant I. et II. Volumine Florum Epigrammatum ex optimis quibusque Auctoribus excerptorum per Leodegarium a Quercu, seu, ut aliquibus visum est, Adrianum Turnebum. Lutetiae apud Petrum Beguin. 1555. in 16.

Iisdemque Voluminibus, sed hoc titulo recusis: Farrago Poematum ex optimis quibusque, et antiquioribus, et aetatis nostrae Poetis selecta per Leodegarium a Quercu. Parisiis apud Ægidium Gorbinum. 1560. in 16. *De hoc et superiori Libro vide I. editionis Comin. pag.* 264.

Verum Leodegarius in superiori editione pag. 99. perperam Flaminio tribuit P. Bembi Epigramma ad Mellinum: *Quid dominam assiduis vexas, Melline, querelis?* etc. duo item Andreae Naugerii, scilicet Ad Hyellam: *Dispeream, nisi tu vita mihi carior ipsa* etc. et Ex Philemone: *Si quid remedii lacrimae afferrent malis* etc. et denique, Joannis Cottae ad Lycorim: *Sive aliquid, seu forte nihil mea lumina cernunt*, etc.

Item Carmina selectiora leguntur T. I. Carminum illustrium Poetarum Italorum a Jo. Matthaeo Toscano collectorum. Lutetiae apud Ægidium Gorbinum 1576. in 16.

Et inter Carmina selecta illustrium Poetarum Italorum ex I. Tomo Jo. Matthaei Toscani. Romae apud. Jacobum Tornerium. 1590. in 16.

Quemadmodum etiam selectiora Flaminii Carmina congesta sunt in Tomum I. Deliciarum CC. Italorum Poe-

tarum collectore Ranutio Ghero, seu Jano Grutero; in officina Ionae Rosae 1608. in 16.

Aliquot etiam illius Carmina exstant inter Flores illustrium Epitaphiorum ex praestantissimorum Poetarum monumentis excerptos per Petrum Andream Canonherium. Antuerpiae 1613. in 8. apud Joach. Trognaesium, pag. 465.

Tum in Libro inscripto: Anthologia, seu selecta quaedam Poemata Italorum qui Latine scripserunt, Collectore anonymo. Londini 1684. in 8. impensis R. Green, et F. Hicks Bibliopolarum Cantabrigensium. Parte III. p. 119.

Item in Aldina Collectione Poematum Sannazarii, et aliorum, anni 1533. in 8. Et in Collectione Carminum praestantium Poetarum Jo. Ant. Taygeto collectore. Brixiae anno 1565. in 8. pag. 48. a tergo.

Nonnulla item ejus Carmina exstant Tomo I. Amphitheatri Gasparis Dornavii. Hanoviae typis Wechelianis. 1619. in folio. *de quo vide I. edit. Comin. p. 264.*

Dornavius autem falsus est Tom. I. pag. 418. sui Joco-seriorum Amphitheatri adscribens Epigramma quoddam in obitum Galli, incipiens: *Immatura mihi gallum mors abstulit, heu heu!* Marco Antonio Flaminio, cum sit dimidiatum Epigramma VI. lib. II. Jo. Antonii Flaminii patris.

Et in variis Paulli Jovii Elogiorum editionibus.

Denique descripta sunt Tomo IV. luculentae admodum Collectionis Carminum illustrium Poetarum Italorum, quae XI. Vol. in 8. prodiit Florentiae typis Regiae Celsitudinis, anno 1719. et seqq.

Postremo in Collectione Carminum illustrium Poetarum Saeculi XV. et XVI. Veronae 1732. in 8. ex Typographia Petri Antonii Berni, Parte prima exstant selectiora M. Antonii Flaminii Carmina, pag. 40.

Epistolae aliquot de Veritate doctrinae eruditae, et Sanctitate Religionis, in Latinum conversae. Norimbergae. 1571. in 8.

Opera omnia. Rostochii 1578. in 8.

OPERA ETRUSCO SERMONE EDITA.

Quamplurimae illius Epistolae Etrusca lingua conscriptae per varia illustrium Virorum Epistolarum Volumina disjectae atque dispersae sunt, quae diligenter a nobis conquisitae ac in unum congestae libellum, ut speramus, in lucem aliquando prodibunt. Ex quibus, sex ad Poeticam Artem, atque ad rectam adolescentium in lingua Latina addiscenda institutionem pertinentes delegimus, in fine Carminum repositas.

Compendio della Volgare Gramatica. Bononiae apud Hieronymum de Benedictis. 1521.

Le Prose di Mons. Bembo ridotte a metodo. Neapoli apud Josephum Cacchium et socios. 1569. in 12.

De hisce duobus postremis Operibus Auctori nostro tribui solitis, apponere hic juvat dubitationem Cl. Mancurtii Cajetano Vulpio per litteras expositam his verbis:

Ho sempre dubitato se la Gramatica Volgare sia veramente opera di M. Antonio Flaminio, poichè s' egli fu nemico de' laberinti di Gramatica Latina, molto più il fu di quelli della Gramatica Volgare. Oltre di che, non abbiam documento alcuno che provi esser detta Gramatica opera di lui. Per me giudico ch' essa sia piuttosto del padre. Parimente ho dubbio se il Metodo delle Prose del Bembo sia altresì parto di M. Antonio; mentre nè l' uno nè l' altro parla giammai di tal Metodo in alcuna delle loro opere, o lettere. Io son di parere, che un tal Metodo sia opera d' un certo M. Antonio Flaminio del Regno di Napoli, una di cui lettera a Silvio

di Gaeta leggesi nella Raccolta di Lodovico Dolce a carte 477. *Sia come si voglia, il Fontanini lo dà per opera di M. Antonio nostro.*

Praeter Italicas Versiones, vel Paraphrases nonnullorum Flaminii Carminum a doctis viris concinnatas, quae in II. edit. Cominiana leguntur, exstant etiam aliae in libro cui titulus: *Le Iscrizioni poste sotto le vere Immagini degli Uomini famosi* (in lettere) *le quali a Como nel Museo del Giovio si veggono. Tradotte di Latino in volgare da Ippolito Orio Ferrarese* 4. *Firenze* 1552. nempe pag. 85. 93. 105. 146. 148. 152. 178. 189. 191. 200. de Hier. Savonarola, Jo. Pontano, Jo. Cotta, Balth. Castiliono, Andrea Naugerio, Jacobo Sannazzario, Augustino Nipho, Ben. Lampridio, Gaspare Contareno, et Franc. M. Molsa.

OPERA ADHUC INEDITA.

Observationes, et Annotationes in varios scriptae Auctores; quarum meminit Jo. Antonius pater in Dialogo de Educatione, et Institutione Liberorum; et M. Antonius filius, in quadam Italica Epistola adhuc inedita ad Petrum Victorium. Quae tamen, nondum inventae, desiderantur.

Silvarum Libelli duo, de quibus idem Jo. Antonius pater mentionem facit in Epistola Dedicatoria M. Card. Cornelio, et lib. III. Epigrammatum ad M. Antonium filium.

Hi duo tamen Silvarum Libelli, ni fallor, sunt fortasse iidem duo Carminum Libri ad Franciscum Turrianum, quos M. Antonius adhuc adolescens scripsit.

Epistolae tres Italicae ad Petrum Victorium, quarum Autographa penes Victorios inclytos Nepotes exstant in Codice Manuscripto Epistolarum clarorum Virorum ad Petrum Victorium.

Epistolae decem Italicae ad Benedictum Flaminium Forocorneliensem, consanguineum suum, quarum archetypa apud Flaminios Nepotes asservantur. Itemque Epistolae II. Italicae ad Julium Zarrabbinum.

Ad haec accedit, quod Regum proelia se quoque cecinisse affirmat Carm. lib. I. Hymno in Pana;

Jam satis cecini fera
Regum proelia.

Francisci Mariae Urbini Ducis fortia gesta describere tandem moliebatur. Carm. lib. II. Carm. V. *De se aegrotante* :

Ast ego secura nequidquam mente parabam
Grandia mox Umbri dicere facta Ducis.

Quod optime animadvertit Jacobus Gaddius de Scriptoribus Graecis et Latinis, pag. 187. ubi Flaminii Carmina judicio suo expendit.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBRI OCTO

QUORUM ORDINEM POSTERIOR
PAGINA INDICAT.

LIBER I.

Continet Odas, Hymnos, variique generis Carmina.

LIBER II.

Elegias, et Epigrammata.

LIBER III.

Lusus Pastorales, seu Eclogas.

LIBER IV.

Reliquos Lusus Pastorales.

LIBER V.

Epistolas Hendecasyllabo carmine.

LIBER VI.

Reliquas Epistolas.

LIBER VII.

Paraphrasim in 30. Psalmos.

LIBER VIII.

Carmina Sacra.

AUGUSTINO GALLO

COMI REFERENDARIO

CAESAR FLAMINIUS S. D.

Marci Antonii Flaminii *patruelis mei Carminum Libellos, quibus ego semper, Augustine candidissime, majorem in modum a puero ad hanc usque aetatem delectatus sum, magnopere semper optavi ad communem eruditorum hominum voluptatem una cum ceteris ejus scriptis in lucem venire, atque extra domum privatam ubique legi. Videbatur enim mihi, si sic eveniret, eam rem non familiae nostrae solum, quae magnum inde nomen consecuta est, sed universae quoque Reipublicae Litterariae, quae temporibus hisce nostris non parum ex illius industria crevit, ornamento quam maximo futuram. Verum cum saepe id in Italia cogitassem, saepe M. Antonium rogassem, exorare se sineret, ut liceret mihi ejusmodi libellos excusori imprimendos tradere; nihil minus ab homine longe omnium alias indulgentissimo impetrare potui, quam ut ejus Carmina publice legenda proferrentur. Severitatis ejusce caussam scire cupienti respondere solebat: Non convenire viro gravi ac propemodum quinquagenario, se gravioribus studiis occupanti, juvenilium ludorum, quibus olim exercendi styli atque ingenii gratia, cum adolescens adhuc esset, operam dabat, ea nunc aetate plausibus ullo sese modo oblectare. Quae cum ita se haberent, non satis exploratum habebam quid mihi super ea re agendum esset, cum multa occurrerent,*

quae me partim ab incoepto deterrerent, partim ad illud omnino prosequendum hortarentur. Videbam enim, si libelli non ederentur, optatissimae voluptatis fructu me privari: si ederentur, timebam, quando haec ille aut contemneret aut parum curaret, ne quo pacto patruelem mei amantissimum, cui summa omnia officia ac studia debebam, offenderem. Sed cum nuper ex Italia proficiscens audivissem, nonnullos lucri caussa adhuc esse, qui novis rebus operam navarent, ac studiose quaecumque hinc inde possent collecta in libellos opuscula redigerent, atque ederent, cum parvo rerum omnium judicio; timere coepi, ne illud idem de M. Antonii Carminibus eveniret, quod de diversis aliorum scriptis evenire saepe cognovimus, ne mala pro bonis, aliena pro propriis, abortiva pro bene natis exirent. Quapropter, dum nobis adhuc integrae res essent, occurrendum esse periculo putavi, atque omnino candidissima Carmina sua serie atque ordine in duos pridem libellos a M. Antonio digesta, quaeque emendatissima apud me erant, antequam Francisco Turriano juveni doctissimo ac nobilissimo, qui superiore anno decessit, dono missa essent, excusori tradenda, vel ob eam maxime caussam, quod te amicum istic talem nacti sumus, qualem ne a Deo quidem Optimo Maximo summis unquam votis optare potuissemus, aut ad ea Lugduni conficienda, quae mihi cum amplissimo patrono Cardinali Trivultio quotidie contingunt, aut ad praesentis occasionem rei apud Sebastianum Gryphium impressorem celeberrimum exsecutioni demandandam: cum tu summae sis apud utrumque et auctoritatis et familiaritatis. Eos igitur ad te Libellos mitto: quos una cum Psalmorum Paraphrasi versibus scripta omnino imprimi, atque in lucem dari eomet ordine quo videre poteris, velim. Tu, quae tua est humanitas, hujusce desiderii mei certior factus, Gryphium convenies, atque hominem elegantissimum rogabis, ut inter ceteras officinae suae innumerabiles editiones, quae toto terrarum orbe celeberrimae gratissimaeque habentur, haec

quoque M. Antonii Flaminii Opuscula collocare velit: tum ut eruditis bonarumque litterarum studiosis viris novum aliquod, ut quotidie facere consuevit, munusculum paret: tum ut posteritati, quae nostrorum temporum memoriam non immerito colet, tantarum rerum admirationem ac stuporem incutiat. Erit id non minus gratum mihi, quam jucundum tibi. Vale. Lezati. III. Idus Octobris. MDXLVII.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER PRIMUS

Ad Franciscum Turrianum Patricium Veronensem

I.

Ecce Flaminii tui libellum,
Candidissime Turriane, quem nos
Donamus tibi jure; quando nemo
Tantum nos amat, aut amavit unquam;
Neque hoc munere, quod mihi dederunt
Formosae manibus suis Camoenae,
Dum colo Aonios puer recessus,
Potest dignior ullus esse quam tu;
Quem Phoebus pater, et novem sorores
Amant non minus ac suos ocellos.
At vos, numina cara, Turriani
Famam cum lepido meo libello
Servate incolumem perenne in aevum:

II.

Hymnus in Pana.

Jam satis cecini fera
Regum proelia: nunc age,
Mater Picri, quem deum,

Quem dulci Æoliae fidis
Plectro rite canemus?
An te, lanigeri gregis
Silvarumque virentium
Custos, cui nigra Maenali
Terga, cui gelidi placent
Summa templa Lycaei?
Nymphae, semiferam Jovis
Prolem dicite, dicite
Pana capripedem, leves
Suetum cum Dryadis choros
Silvis ducere in altis.
En ut grata silentia
Cantu noctivago deus
Rumpit: cernite, io, venit,
En venit capitis feri
Serta pinea quassans.
Huc concurrite, virgines
Intactae, et pueri integri:
At quibus scelera impia
Mentem sollicitant, procul
Hinc abeste, profani.
Absint et querimoniae,
Et mixtus lacrimis dolor:
Hic laetis choreis dies
Ducenda, hic leve tinnula
Carmen voce sonandum.
O Pan Naïadum pater,
Qui per devia montium
Valliumque reconditarum
Agrestes agitas, canum
Cinctus agmine, lyncas:
Te divûm, atque hominum sator
Silvarum dominum dedit
Esse, qua roseus dies
Surgit, quaque cadens rubris
Ponti mergitur undis.

Tu fontes liquidos gregi, et
  Lacta pabula sufficis,
  Tu custos ovium potens
  Dictus, mollia candidis
  Exples vellera lanis.
Quos tu, sancte, pio semel
  Agnos lumine videris,
  Illos nec stabulis lupus
  Infestus rapiet, mala
  Nec contagia laedent.
Felices nemorum comae,
  Quae te, cum vaga roscidus
  Vesper sidera protulit,
  Dulci carmina fistula
  Audivere canentem.
Tunc purae melius nitent
  Noctis conscia sidera:
  Tunc aurae Zephyri tacent:
  Tunc laetas croceis humus
  Spargit floribus herbas.
Non tam dulce sonat cadens
  Udo in gramine cycnus, aut
  Veris tempore floridi
  Ales sub silüae querens
  Densis Daulias umbris.
Ergo Hamadryades deae,
  Limpidis ubi procubat
  Umbra saxea fontibus,
  Ludunt in numerum, et levi
  Campos ter pede pulsant..
Tu vero choream regens,
  Cantus ingeminas: sonant
  Laetis omnia plausibus,
  Et cultrix nemorum gemit
  Imis vallibus Echo.
Mox fessa Dryadum agmina
  Propter gramineam sedent

Ripam fluminis, hic ubi
Dulcem mollis amaracus
Late spirat odorem.
Et dum suave rubentia
Carpunt mala, vel aureos
Crines frigidulis aquis
Immergunt, liquida simul
Voce carmina dicunt.
Ut fulgentia sidera
Et magnas superûm domos
Linquens, ad vaga flumina
Paverit niveas oves
Majae clara propago,
Qua Cyllenia verticem
Rupes umbriferum nigris
Late fontibus irrigat,
Et gratas pecori vago
Semper sufficit herbas.
Hic flavae Dryopes sinu
In molli recubans deus
Caelo frondiferum nemus
Praefert, heu nimium gravi
Victus vulnere amoris.
At felix Dryope, novem
Post fastidia mensium,
Optatum ex utero dedit
Pondus. Vix puer hauserat
Dias aetheris oras;
Fugerunt Dryades, parens
Fugit territa, nam inguinum
Tenus hircus olens erat
Infans, binaque flammea
Stabant cornua fronte.
Tunc illum genitor ferens
Albis pellibus abditum,
Ad magni solium Jovis

Venit: nec mora, risit im-
mensi rector Olympi:
Riserunt superi: at Venus
In sinu puerum tenens,
Visus pascit amabili
Monstro, grataque turgidae
Libat oscula fronti.
Salve, o Naïadum potens,
Salve, et hinc lacrimabiles
Morbos et miseram famem in
Extremas Arabum domos
Et feros age Turcas.

III.

Hymnus in bonam Valetudinem.

Diva funestis inimica morbis,
Cui vigor mentis solidumque robur
Et joci dulces animique semper
Gaudia cordi:
Te voluptatis canimus parentem,
Candidam blandae Veneris sodalem,
Unicum vitae decus et malorum
Dulce levamen;
Quam colunt sancte juvenes senesque,
Quam sibi cuncti cupiunt, suisque;
Nam simul coetus hominum caducos
Alma revisis,
Ilicet Morbi fugiunt protervi,
Occidit Febris truculenta, dirus
Occidit Pallor, fera Mors profundo
Exsulat Orco:
At domus florent pueris, senesque
Induunt fortem virides juventam,
Et Venus terras colit et Lyaeus
Et bonus Hymen.

O quies rerum, o hominum benigna
Mater, o cunctis veneranda; namque
Quid potest gratum sine te, quid ulli
Dulce videri?
Huc ades nostrum miserans laborem,
Sive te caeli tenet aula, sive
Insulis molles choreas beatis
Laeta frequentas.
Huc ades tandem, bona diva, et artus
Languidos aura refove salubri,
Ne meam tabes edat immerentis
Atra juventam.

IV.

Hymnus in Dianam.

At Te quis tacitam sinat,
O castissima caelitum,
Cultrix o Erymanthii
Cynthiique recessus?
Te chori et citharae juvant,
Te juvat strepitus canum
Audire, et celeres feras
Acri figere cornu.
At cum Sol abit aureus,
Tu perfusa liquentibus
Undis Oceani, vago
Lustras aethera curru:
Currum lucida sidera
Sectantur pede candido,
Lascivas meditantia
Pura nocte choreas.
Tunc silvae memor, aureos
Flores et violaria
Et parvas segetes levi
Nutris humida rore.

Tu ferum mare temperas,
  Tu Noti et pluviae potens,
  Tu partus aperis prece
  Ter vocata puellae.
Salve, dux bona siderum;
  Altorum dea montium,
  Salve; votaque virginum
  Audi rite precantum.

V.

Hymnus in Auroram.

Ecce ab extremo veniens Eoo
  Roscidas Aurora refert quadrigas,
  Et sinu lucem roseo nitentem
    Candida portat.
Ite, pallentes tenebrae, sub Orcum,
  Ite, quae tota mihi nocte diros
  Manium vultus, mihi dira semper
    Somnia fertis.
Da lyram vati, puer; ipse flores
  Sparge, dum canto. Bona diva, salve,
  Quae tuo furvas radiante terras
    Lumine lustras.
En tibi suaves violas crocumque,
  En odorati calathos amomi:
  Surgit, et nostros tibi dulcis aura
    Portat odores.
Deferat laudes utinam precesque
  Quas tibi supplex mea Musa fundit,
  Jam pio sanctos bene docta divos
    Tollere cantu.
Quis tuam digne celebrare lucem
  Possit, o almae genitrix diei?
  Quis tuam formam, o dea ante divas
    Pulchrior omnes?

Ut genas caelo roseas comamque
  Auream profers, tibi fulva cedunt
  Astra, decedit rutilante victa
    Luna decore.
Te sine aeterna jaceant sepulti
  Nocte mortales: sine te nec ullus
  Sit color rebus, neque vita doctas
    Culta per artes.
Tu gravem pigris oculis soporem
  Excutis; (leti sopor est imago)
  Evocans tectis sua quemque laetum ad
    Munia mittis.
Exsilit stratis rapidus viator,
  Ad jugum fortes redeunt juvenci,
  Laetus in silvas properat citato
    Cum grege pastor.
Ast amans carae thalamum puellae
  Deserit flens, et tibi verba dicit
  Aspera, amplexu tenerae cupito a-
    vulsus amicae.
Ipse amet noctis latebras dolosae,
  Me juvet semper bona lux: nitentem
  Da mihi lucem, dea magna, longos
    Cernere in annos.

VI.

De Delia.

O fons Melioli sacer,
  Lympha splendide vitrea,
  In quo virgineum mea
  Lavit Delia corpus;
Tuque lenibus enitens
  Arbor florida ramulis,
  Qua latus niveum et caput
  Fulsit illa decorum;

Et vos prata recentia ,
  Quae vestem nitidam et sinum
  Fovistis tenerum uvida
  Laeti graminis herba ;
Vosque aurae liquidi aetheris ,
  Nostri consciae amoris , ad-
  este , dum queror , atque vos
  Suprema alloquor hora .
Si sic fata volunt fera ,
  Si sic est placitum deis ,
  Ut nobis amor impia
  Morte lumina condat ,
Saltem pro pietate mea
  Hoc concedite , frigidum
  Ut corpus liceat mihi
  Vestra ponere terra .
Sic satis moriar libens ,
  Si spes haec veniat simul ;
  Quod nullo melius loco hos
  Linquet spiritus artus .
O si tempus erit modo ,
  Cum suetum huc aditum ferat ,
  Quae nos ante diem nigros
  Cogit visere manes ,
Et locum aspiciens , ubi
  Illo purpureo die
  Me vidit , miserum suis
  Multum quaerat ocellis !
Sed jam frigida pulverem
  Inter saxa videns , statim
  Pectore ardeat intimo , et
  Me sic fata reposcat ,
Ut vitae veniam impetret ,
  Et cogat superos suum
  In votum , humida candido
  Tergens lumina velo .

Pulchris undique ramulis
  Instar imbris in aureum
  Manabant dominae sinum
  Flores suave rubentes.
Talis Idalia Venus
  Silva, sub viridi jacet
  Myrto, puniceo hinc et hinc
  Nimbo tecta rosarum.
Hic flos purpureas super
  Vestes, hic super aureos
  Crines, hic rosei super
  Oris labra cadebat:
Ille gramine roscido
  Insterni, hic vitrea super
  Lympha nare, alius cito in
  Gyrum turbine verti.
Leni murmure candidum
  Audisses Zephyrum tibi
  Palam dicere; regnat hic
  Blandi mater Amoris.
Tunc mecum ter, et amplius
  Dixi; aut venit ab aethere
  Haec alto, vel Oreadum
  Certe sanguinis una est.
Sic et blanda protervitas,
  Sic et virgineum decus
  Oris, verbaque dulcia
  Memet abstulerant mihi,
Ut suspiria ab intimo
  Fundens pectore, saepius
  Dicerem; huc ego qua via,
  Quove tempore veni?
Nam super nitidum aethera
  Evectus volucri pede, et
  Magni concilio Jovis
  Interesse videbar.

Illo ex tempore frigerans
  Fons, et prata recentia, et
  Arbor florida sic mihi
  Mentem amore revinxit,
Ut seu nox tenebris diem
  Pellit, seu rapidum fugit
  Solem, non alia miser
  Unquam sede quiescam.

VII.

De Sacello Coryciano.

Di, quibus tam Corycius venusta
  Signa, tam dives posuit sacellum,
  Ulla si vestros animos piorum
    Gratia tangit,
Vos jocos risusque senis faceti
  Sospites servate diu, senectam
  Vos date, et semper viridem, et Falerno
    Usque madentem.
At simul longo satiatus aevo
  Liquerit terras, dapibus deorum
  Laetus intersit, potiore mutans
    Nectare Bacchum.

VIII.

Paulli Tertii Pontificatus Maximus.

Jam nox sidera Tethyos
  Undis caeruleis condere coeperat,
Cum laetae volucres diem
  Venturum vario carmine nuntiant;
Argutae fidicen lyrae
  Alcon, auricomo gratus Apollini

Alcon, in viridi sedens
  Ripa Tybridis haec dulcia fundere
Coepit carmina, Lesbium
  Aurato feriens pectine barbiton.
Jam Sol Oceano diem
  Ducet purpureis, Roma parens, equis,
Quo Farnesius inclyti
  Heros imperii sceptra potentia
Sumens auspicio deûm
  Felici, Ausoniis attulit urbibus
Pacis gaudia candidae;
  Et belli furias alpibus et mari
Arcens, tristia dulcibus
  Mutavit litui murmura canticis.
Ex illo nitidis viret
  Arvis tuta Ceres, Bacchus et exteris
Crescit liber ab hostibus,
  Nec nostros abigit miles atrox greges,
Nec passim pila ferrea
  Ictu fulmineo moenia concutit,
Nec discordia civium
  Cognato maculans sanguine dexteras
Miscet proelia; quo nihil
  Sol, qui cuncta videt, spectat acerbius.
Paullo denique Tertio
  Rerum praeside, vis et furor impius,
Et tristes superûm minae
  Excessere procul finibus Italis,
Illuxitque beata diu
  Optato veniens tempore Faustitas;
Ut quondam medio in mari
  Jactatis validi turbinis impetu
Nautis Tyndaridae ferunt
  Fratres auxilium sidere dextero.
Ergo jam novus incipit
  Rerum ordo, facies jam nova cernitur.

Antiquum revocat decus
  Divûm Roma domus et caput urbium,
Et magnis legionibus
  Turcam et Danubii flumina territat.
Fortunata per oppida
  Cornu fundit opes Copia divite:
Virtuti suus est honos,
  Et legum timor et prisca redit fides.
Sed jam purpureum bonae
  Ostendit Veneris stella oriens diem.
Salve, lux nitidissima,
  Natali proprio carior omnibus,
Quos pulcherrima sustinet
  Regnis Hesperiae terra feracibus.
Te nec Juppiter horridis
  Infuscet nebulis: nec malus invida
Contristet pluvia Notus,
  Nec lux Oceano pulchrior exeat.
Foecundi aura Favonii
  Pingat caeruleis gramina liliis:
Stillent mella virentibus
  Ramis: lacte mero, Tybri pater, fluas.
Tum laeti choreas Joci
  Ducant, nec geminis juncta sororibus
Absit Gratia, nec Pudor
  Sanctus, nec Pietas almaque Veritas.
At tu, nobilis imperî
  Vertex, magnanimûm Roma Quiritium
Mater, surge cadentibus
  Astris, et superûm dona fer omnibus
Templis: incipe debitas
  Prima luce deis reddere gratias
Cantu ac turis honoribus,
  Et Paullo Pylii tempora Nestoris
Ora, qui tibi saecula
  Saturni veteris rettulit aurea.

IX.

Ad Alexandrum Farnesium Card.

Pulchrae Naïades, bonique Fauni,
Dilectum juvenem vocate ad istas
Mecum delicias. Ades, Quiritum
Alexander ocelle; sat tulisti
Dura frigora, sat graves calores
Et casus varios periculorum.
Te vidit Tagus aurifer citatis
Equis currere, te rapacis unda
Rheni, te Liger et Garumna vidit
Iratos properantem adire reges,
Et componere bella, foederumque
Leges dicere: te feras per alpes
Nuper terrificis euntem in armis
Faunique stupuere Oreadesque,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petis Vindelicas tremendus oras,
Et magnum Carolum tuo labantem
Firmas praesidio, trucesque nostris
Agris Teutonicas minas repellis.
Sed jam desine, jam satis laborum
Pro cara Italia subisti, omitte
Curas Urbis et Orbis, aestuosa
Dum Canicula saevit, otiumque
Praefer dulce negotiis, ut alti
Virtus Scipiadae solebat olim
Factitare, tumultuosa Romae
Linquens moenia ter quaterque in anno.
Hic quiesce parumper, hic molestis
Te furare laboribus: licebit
Horas fallere fervidas legendo
Musae versiculos Horatianae,
Et quae Moeonides sacer, sacerque

Canit Virgilius: licebit antra,
Et fontes gelidos adire: risus
Et joci comites procul fugabunt
Curas tristitiamque; nec pudebit
Modo incompositos videre motus
Saltantis Pholoës: modo assidere
Canenti Meliboeo: aves tenaci
Visco fallere, piscibus juvabit
Dolos tendere vitreis sub undis.
Nec cervi, leporesve, capreaeve
Absunt; accipiterque copiosas
Hic praedas agit: omnibus venusta
Rura denique gaudiis redundant.
Ergo moenia Romuli et severa
Cuncta desere: sed cavebis illas
Turmas innumerabiles clientum
Tecum ducere: sit comes Mapheus,
Et Mirandula, Romulusque, docti
In primis homines bonique: ad illos
Addantur alii viri elegantes,
Sed pauci tamen. Haud beata gustes
Ruris commoda, ni superfluentes
Pompas Urbis in Urbe derelinquas.

X.

Ad Agellum suum.

Formosa silva, vosque lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum,
Quam me beatum quamque dìs putem acceptum,
Si vivere et mori in sinu queam vestro!
Nunc me necessitas acerba longinquas
Adire terras cogit, et peregrinis
Corpusculum laboribus fatigare.
At tu Diana, montis istius custos,
Si saepe dulci fistula tuas laudes

Cantavi, et aram floribus coronavi,
Da cito, dea, ad tuos redire secessus.
Sed seu redibo, seu negaverint Parcae,
Dum meminero mei, tui memor vivam,
Formosa silva, vosque lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum.

XI.

Ad Litavium Sperantium.

Non semper rapido Cynthia belluas
Cursu persequitur, nec miseris solet
Semper letiferum Delius impiger
Arcum tendere gentibus,
Aut regina suum Calliope melos
Noctes atque dies continuat, neque
Ipsis perpetuo saevit in ignibus
Infestus Veneris puer.
Tu nunquam studiis otia tristibus
Interponere amas: sed magis in dies
Pallentem sequitur cura scientiam,
Atque alti labor ingenî.
At contra sapiens quam bene Socrates
Doctus cum pueris ludere! sic gravis
Olim Panthoïdes seria mollibus
Condibat citharae modis.
Quin et Scipiadae Laelius abdito
Lucrini varias litore conchulas
Certabat legere, ut grandia publicae
Curae taedia poneret.
Jam mittas, Litavi, quaerere, quae Dei,
Quae natura animae, cur Jovis optima
Sit lux, curve senex falcifer invido
Terras lumine fascinet:
Indulge potius, dum licet, otio,
Et solare levi Flaminium lyra

Maerentem ob dominae dissidium Chloës,
Et Lygdae nova proelia.

XII.

Ad seipsum de adventu Hiemis.

Jam bruma veniente praeterivit
Æstas mollior, et cadunt ab altis
Frondes arboribus: tepor Favonî
Immanes Boreae furentis iras
Formidans abit: illum agri voluptas
Canorae volucres sequuntur: ergo
Et nos dulcia rura deseramus,
Dum ver purpurea coma decorum
Reducat Zephyri tepentis auram.
Horti deliciae meae valete,
Fontes luciduli valete, salve
Mihi villula carior superbis
Regum liminibus. Recedo, sensum
Sed meum hic, animumque derelinquo.

XIII.

De laudibus Lauri.

Laure, conspicuo nitens
Semper tegmine frondium,
Quas nec bruma gelu rigens,
Nec saevi rabies Noti
Laeto privat honore,
Te canam, nemorum decus
Arborumque virentium,
Inter quas ita gloria
Praestas, nt teneras super
Vites tollitur alnus.
Iratae fugiens minas
Junonis, celeri ut pede

Latona Ortygiam attigit,
Te visa, gemini statim
Solvit pondera foetus.
Hinc tantis meritis parem
Phoebus reddere gratiam
Quaerens, horrificum neci
Ut Pythona dedit, tua
Cinxit tempora fronde.
Dein vocalibus Aonum
Silvis inseruit, te ubi
Lactis fluminibus leves
Nymphae et capripedes rigant
Dulci nectare Fauni.
Nec colles Heliconios
Dextro contigerit pede
Te quisquam sine; nam prius
Ex Lauro capiunt sua
Sancti praemia vates.
Quin et limina Caesarum,
Victoremque etiam tuis
Exornas foliis ducem,
Cum Victoria nobili
Plena pulvere venit.
Cum primum haec dea praepete
Penna fortia Romuli
Intrat moenia, poneris
Tarpeji in gremio Jovis
Laetae nuntia pacis.
Quamvis ipse Diespiter
Crebris fulminibus deûm
Templa concutiat, tamen
Nullis ipsa tonitribus
Igni tacta corusco es.
Quis te laudibus efferat
Dignis, Laure? nocentium
Tu purgamina sordibus

Praebes, veraque cornea
Mittis somnia porta.
Te pulcherrima sospitet
Latona, et cohibens levi
Arcu Cynthia belluas:
Te Phoebus viridem tuus
Omne servet in aevum.

XIV.

Ad Bacchum

Age, Bacche, quis furor me rabidum occupat? io io
Rapior, et alta cursu volucri in nemora feror,
Ubi sacra Maenades cum trieterica celebrant,
Furibunda solent vagantes agitare tripudia.
Audire videor alto reboantia strepitu
Ubique aera: jam choris, jam videor nemorivagis
Celer interesse turmis. Evoë mihi sola sub
Pedibus tremunt, nubes evoë pulverea diem
Mihi tollit. Adest, adest jam Semeleïa propius
Soboles: io venit, tinnula cymbala resonant,
Phrygiis recurva stridet grave tibia calamis.
Evoë vagus abit animus, evoë tremula flagris
Mihi terga quatit furor. Parce precor, precor, animum
Stimulis citare tantis: alios rape celeres
Per opaca Thraciae rura, alii capita rotent
Hinc et hinc reflexa, thyrsisque feras hederigeris
Lanient. In otiosis ego sacra latibulis
Faciam, aureisque Bacchi pia numina fidibus
Referam novus sacerdos. Tua, Liber, initia
Cantabo, et ista, donec mihi vita supererit,
Habitabo nemora, semper tuus, Evie, famulus.
Quod si bene, pater, Evantum me inserere choris
Animo est, et altae furibundum per juga Rhodopes
Agitare, tuo mihi saltem munere liceat
Rabidi furorem amoris compescere, pater, et
Da servitio gravi dominae vivere vacuum.

XV.

Ad Agellum suum.

Umbrae frigidulae, arborum susurri,
Antra roscida, discolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphae, garrulae aves, amica Musis
Otia, o mihi si volare vestrum
In sinum superi annuant benigni,
Si dulci liceat frui recessu,
Et nunc ludere versibus jocosis,
Nunc somnum virides sequi per umbras,
Nunc mulgere mea manu capellam,
Lacteoque liquore membra sicca
Irrigare per aestum, et aestuosis
Curis dicere plurimam salutem;
O quae tunc mihi vita, quam beata,
Quam vitae similis foret deorum!
At vos, o Heliconiae puellae,
Queis fontes et amoena rura cordi,
Si cara mihi luce cariores
Estis, jam miserescite obsecrantis,
Meque Urbis strepitu tumultuosae
Ereptum in placido locate agello.

XVI.

Ad Alexandrum Farnesium Card.

Jam diem gyro breviore claudens
Phoebus insani rabiem Leonis
Sedat, autumnumque refert decorum
Mollior aestas.
Ille maturis redimitus uvis
Laetus incedit per amoena rura;

Ejus aspectu exhilarata ducunt
Poma colorem .
At puer flavae Semeles sodalem
Candidum gaudens rediisse , prodit
Obviam longe : socias choreas
Jungit uterque .
Saltat hos circum thiasus , jocosi
Panes et passo Dryades capillo ,
Fistulis mixtum resonat suavis
Tibia carmen .
Ipsa pomosos Cytherea in agros
Migrat , et pulcher Jocus et Voluptas :
Tu tamen durus potes in molesta
Urbe morari ,
Semper et magnum celeri per orbem
Mente , Farnesi , volitas , quid acer
Turca , quid Rhenus paret , ac remota in
Parte Britannus ,
Providens longe : sed omitte curam
Imperî paucis vacuus diebus :
Te magis tantos vegetum ad labores
Rura remittent .

XVII.

Ad Agellum suum .

Venuste agelle , tuque pulchra villula ,
Mei parentis optimi
Olim voluptas , et quies gratissima
Fuistis : at simul senex
Terras reliquit , et beatas caelitum
Petivit oras , incola
Vos alter occupavit , atque ferreus
Amabili vestro sinu
Me lacrimantem ejecit , et caris procul
Abire jussit finibus .

At nunc, amica rura, vos reddit mihi
  Farnesii benignitas.
Jam vos revisam, jam juvabit arbores
  Manu paterna consitas
Videre, jam libebit in cubiculo
  Molles inire somnulos,
Ubi senex solebat artus languidos
  Molli fovere lectulo.
Gaudete, fontes rivulique limpidi;
  Heri vetusti filius
Jam jam propinquat, vosque dulci fistula
  Mulcebit, illa fistula,
Quam vestro Iolae donat Alcon Maximus,
  Ut incluti Farnesii
Laudes canentem Naïdum pulcher chorus
  Miretur, et Pan capripes.

XVIII.

Ad Musam de Philippo Obermairo.

Collis Aonii puella cultrix,
  Una ex virginibus novem tenellis,
  Quam nec bella cruenta nec labores
  Solis dicere, sed puellularum
  Amores, querimonias jocosque
  Lascivis elegis juvat referre;
  Hanc myrtum tibi dedicat Philippus,
  Natus Vindelicis Philippus oris,
  Sed tam cultus et elegans poeta,
  Tam dulcis lepidusque, ut Italorum
  Nemo sit propior tuo Tibullo.
  Hanc ille irrigua fovebit unda,
  Hanc perfundet odoribus, tuasque
  Laudes assidue sub hujus umbra
  Molli carmine concinet. Puella
  Pulchra, tu juveni fave, tuaeque
  Fac sit deliciae, tuique amores.

XIX.

Ad Veturiam Matrem, et Julium et Faustum Fratres mortuos.

Mater candida, candidique fratres,
Qui me funere rapti acerbo, in atris
Lugentem tenebris videtis, et cum
Sol terras hilarat nitente luce,
Et cum nox placidum refert soporem,
Jam mei miserescite, et deorum
Supplicate parenti, ut exuens me
Vinclis corporeis, volare vestros
Ad manes sinat; est enim relictum
Nihil dulce mihi, nihil quod aegrum,
Et maerentem animum levare possit,
Praeterquam lacrimae et querelae, ab imo
Et suspiria corde tracta: quod ni
Timeret mea mens, adire dum vos
Urget, ne procul a piis repulsa
Vobis perpetuo careret, ipsum
Ferrum jam mihi corpus exuisset.

XX.

Ad Joannem Antonium Flaminium Patrem morientem

Vixisti, genitor, bene ac beate,
Nec pauper, neque dives, eruditus
Satis et satis eloquens, valente
Semper corpore, mente sana, amicis
Jucundus, pietate singulari.
Nunc lustris bene sexdecim peractis
Ad divûm proficisceris beatas
Oras. I, genitor, tuumque natum
Olympi cito siste tecum in arce.

XXI.

Ad Antonium Mirandulam.

Antoni venerande, anima mihi carior ipsa,
  Romamne semper incoles?
Te nec avaritiae morbus nec fervida honorum
  In Urbe detinet sitis.
Vis igitur properemus, ubi Dovadula Musis
  Amica praebet otia?
Hunc agrum dat habere tibi Farnesius heros,
  Quo nil amoenius neque
Fertilius Baccho, et Cereri gratissima tellus
  Togata cernit Gallia.
Has age delicias, et dulcia rura petamus,
  Quo pulcher autumnus vocat
Et Bacchus pater et virides Pomona per herbas
  Cum Gratiis ducens choros.
Jam videor tecum patula projectus in umbra
  Ad lucidi fontis caput,
Discere nubigenam quae mille coloribus Irim
  Vis pingat imbris nuntiam;
Cur cadat aestivo glacialis sidere grando;
  Quis tantus excitet furor
Ventos, horrisonas curvato gurgite ut undas
  Ad alta mittant sidera;
Altera cur auro tellus fluat, altera ferro,
  At illa gemmis splendeat.
Felix, qui rerum causas, Mirandula, nosti,
  Et eleganter explicas.
Tu docti pridem male culta vireta Lycaei
  Post longa primus saecula
Efficis, ut prisco revirescant more, quod omnis
  Miretur aetas postera,
Teque parem dicat magnis heroibus illis,
  Quos ipsa Pallas artibus

Erudiens claris dat adhuc splendere per orbem,
Ut pulchra caeli lumina.

XXII.

Ad Apollinem.

Cynthii cultor nemoris, beatas
Voce qui Nymphas, citharaque mulces,
Phoebe, supremi Jovis et deorum
Blanda voluptas,
Si tibi semper mea mens ab annis
Serviit primis, neque dulce cordi
Est meo quidquam sine te, precanti
Annue dexter.
Ut mihi optatum dat habere agellum
Clara Farnesî pietas, gravique
Liberans cura, jubet otiosam
Ducere vitam;
Sic tuo vati liceat, perenni
Nomen illius celebrare cantu;
Et viri in nostris vireat libellis
Gloria semper,
Myrtus ut luco viret in latenti,
Fonte quam nutrit liquido decora
Naïs, et saevas hiemes et aestus
Arcet iniquos.

XXIII.

Naenia in Mortem Franciscae Sfortiae sororis Guidi Ascanii Card.

Puella delicatior
Molli columba, pulchrior
Rosae rubentis flosculo,
Cur immerentem candidis

Te saeva Parca fratribus
Et conjugi dulcissimo
Prima juventa sustulit ?
Sic florem hiantem mollibus
Telluris almae amplexibus
Vellens procella turbinis
Leves in auras dissipat .
Francisca , acerbo funere
Caeli relinquens lumina ,
Tuae domus et patriae
Cuncta abstulisti gaudia .
Te mollis unda Tybridis
Flens crevit , ipsae crinibus
Passis puellae Naïdes
Flevere : septem collium
Questus ad alta sidera
Ivere : lucidum caput
Sol lugubri ferrugine
Velavit , atra civitas
Cum te sepulcro poneret .
Pudor , Venustas , Gratiae
Sunt hoc sepulcro conditae .
Crudelis , implacabilis ,
Iniqua Mors , cornicibus
Tam longa parcis saecula ,
Et huic puellae tam cito
Manus rapaces injicis ,
Quae debuit Amphrysiae
Vicisse vatis tempora .
Nec te rogantis dulcia
Flexere verba , ferream
Quae vim valebant frangere :
Nec oris illa dignitas ,
Cui Pallas ipsa cesserat ,
Tui furoris impetum
Tardare quivit , impia .
Nil fratris Ascanî favor ,

Quem magna Roma suspicit,
Carae sorori profuit:
Nil vota Paulli Tertii,
Quo terra nil majus videt,
Juvere neptem candidam.
At saevias licet, fera
Mors, vivet ipsa funeri
Suo superstes, omnium
Volans per ora gentium
Francisca, magnae gloria et
Dolor perennis patriae.

Paraphrasis superioris suavissimi Jambi ab Alexandro Guarnello concinnata. Ex Dionysii Athanasii Collectione.

O vaga giovinetta,
Più delicata e pura
Che candida colomba o tortorella:
O tanto al Ciel diletta,
Ov' ei pose ogni cura
Perchè non fosse al mondo opra più bella;
Qual man sì cruda e fella,
Qual tempestoso nembo,
Quasi bel fior che in seno
Serbi giardino ameno,
Ti sparse all' aura, e dall' amato grembo
Della tua madre Roma
Ti svelse? ond' ella a se svelle or la chioma.
Il riso, il gioco, il canto,
Ogni diletto e speme,
E le Grazie ed Amor teco periro:
Crebbe il Tebro del pianto,
E i sette colli insieme
Colle ruine al ciel strider si udiro.

Le Muse si partiro,
Quinci e quindi disperse
Dalle sacrate linfe;
E lagrimar le Ninfe,
E sanguinosa nube il Sol coperse,
E dier tristi portenti
Segno di orribil strage e di tormenti.
La tua città dolente
Allor che in picciol vaso
Chiuse il tesor del cielo e la beltate,
Dicea: Quì giaccion spente
(O miserabil caso!)
Virtù, senno, modestia ed onestate.
Dunque sì lunga etate,
O fiera, o cruda Morte,
Concedi alla cornice;
Ed alla mia Fenice
Tanto leggiadra hai dato ore sì corte!
Almen quest' anni miei,
Che fian brevi, locati avessi in lei!
Crudel, quelle amorose
Dolci parole umane,
Quei prieghi, quelle lagrime e quel viso
Ch' avrian fatto pietose
Le tigri orride Ircane,
Come non t' hanno, oimè, vinto e conquiso?
Tutti i mortali anciso
Hai tu con un sol colpo;
E in duo lumi celesti
Gli uman nostri chiudesti.
Ma più che te, Natura e 'l Cielo incolpo,
Che fan sì perfett' opra,
Perchè vil terra la nasconda e copra.
Nulla più, o Ciel, ne cale,
Del tuo vago e sereno,
Non più splendono a noi stelle, nè Sole.
Natura, che ne vale

Veder pinto il terreno
Di gigli, d' amaranti e di viole,
Se l' alme luci e sole
Mirar più non ne lice,
Che avean tant' alme accese
A gloriose imprese,
Ond' era più che mai Roma felice,
Ed al suo primo onore
Salìa, scorta da tanto e tal splendore?
O poverella mia, statti piangendo
In quest' orrido speco,
Che ne verran dell' altre a pianger teco.

XXIV.

Epitaphium Franciscae Sfortiae.

Franciscae tumulo teguntur isto
Ossa Sfortiadis, viator: illa
Et forma memorabili puella,
Et sancti specimen fuit pudoris;
Digna vivere ad ultimam senectam.
Sed mors, optima quaeque prima tollit.
Ipsam Romula gens, avusque Paullus
Tertius lacrimis piis honorant:
At deûm genitor, deique gaudent
Esse concilio suo receptam.

XXV.

Epitaphium Joannis Matthaei Giberti,
Pontificis Veronensis.

Giberti venerator hic sepulcrum,
Quem Ligur genuit Panormi in urbe,
Roma nutriit, et diu regendi
Orbis participem beata vidit;

Dein Verona recepit, et magistrum
Sincerae pietatis et parentem
Mirata est. Nihil ille quod beatam
Posset reddere civitatem, omisit;
Nunc caelo fruitur beatus ipse.

XXVI.

Ad suavissimum Sodalem suum.

Senex palustribus loquacior ranis,
Turbaque semper garrula cicadarum,
Tu nunc relictis villulis Capenatum,
Sinu Bononiae educaris in dulci,
Qua civitate delicatior nulla est;
Vitamque laetam vivis atque felicem
Fruens Morono strenuoque Cervino,
Quos publicarum cura nobilis rerum
Ardensque ad alta sidera evebit virtus.
At cum reversus ad tuos agros, tristi
Silentio, miser, otioque marcesces,
O quam vicem tuam dolebis! et caeli
Lucem nitentem quam videbis invitus,
Cum vita morte jam videbitur pejor!
Senex dicacule et facete nugator,
Festivitatis magne amator urbanae,
Dic, caprimulgos inter atque fossores
Et senticosa rura gentis insulsae
Quid dulce poterit esse quidve jucundum?
Cum quo jocando tunc dabitur ineptire?
Quis elegantes ventitabit ad coenas?
Cui post Falerna vina de malo et sacro
Libro venena versuum propinabis,
Megaera, non Camoena, quos tibi dictat,
Ut iis acerba pestilentior peste
Tuos sodales eneces; quibus centum
Abesse millia passuum, nihil prodest?

Nam charta taetro infecta carminum tabo,
Quam saepe doni maximi loco mittis,
Modis legentum corda polluit miris,
Ut liberare languidos suis succis
Nec ipse Phoebus, ipsa nec Salus possit.
At tu poëta letifer, tuos, quaeso,
Amiculos ne perde peste tam dira,
Sed pessimis jam pone versibus finem;
Saevire vel si pergis, hostibus saevi.

XXVII.

De Versibus Philippi Obermairi.

Dulces versiculi, meo Philippo
Quos dulcissima Musa molli in umbra
Dictat Castaliae, suo lepóre
Sic sensum afficiunt meum, meumque
Sic cor exhilarant, ut iis legendis
Curae sollicitae, anxii timores
Et suspiria, lacrimaeque amarae
Confestim fugiant; velut, suaves
Cum spirant Zephyri tepente vere,
Caelo nubila, candidae pruinae
Terris diffugiunt; novique flores
Pingunt gramina gemmeo colore.
Dulces versiculi, tenelli, Amorem
Spirantes Veneremque Gratiasque,
Semper vivite, semper irrigate
Vestro nectareo liquore sensus
Et mentes hominum venustiorum

XXVIII.

Ad Philippum Beroaldum Juniorem

Scribes Bentivoli fortia Principis
Tu facta, et Ligurem sanguine Julium

Gaudentem Latio, infestaque Galliae
Nostris agmina finibus.
Nec parco referes carmine, quam fera
Atrox in Selinum bella gerat Sophis,
Tum Turcas odio persequitur gravi
Regnis pellere patriis.
Nos diva, Idalium quae nemus incolit,
Et miscere simul dulcia tristibus
Gaudet, Maeonia non patitur tuba
Regum dicere proelia,
Nec Thebas veteres, primave Romuli
Sceptra, ausamve deûm tecta refringere
Telluris sobolem, aut excidio datum
Grajis Ilion ignibus.
Nos heu Hierophiles cogit amor male
Cervicem laqueo subdere dispari,
Quem nec Thessalico murmure saga, nec
Durae gramen Iberiae,
Nec Circeja queat solvere naenia.
Tu non visa canes proelia: nos gravem
Experti dominae saevitiam, levi
Curas eluimus fide.

XXIX.

Ad Gratias.

Gratiae, pulchrae Veneris sodales,
Queis sine gratum nihil, aut venustum est;
Non Amor, non ipsa Venus, jocive,
Blanditiaeve;
Trîs fero vobis violae coronas
Flore fulgentes, ego terna vobis
Candidi lactis, totidemque libo
Cymbia mellis:
Vos meis dulcem numeris lepórem
Addite, ut semper bene docti ad aures

Grata Farnesî veniant Iolae
Carmina vestri.

XXX.

De laudibus Mantuae.

Felix Mantua, civitatum ocelle,
Quam Mars Palladi certat usque et usque
Claram reddere gentibus, probisque
Ornare ingeniis virorum, et armis!
Te frugum facilis, potensque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa, calamisque flexuosus
Leni flumine Mincius susurrat,
Et qui te lacus intrat, advenisque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid deorum
Templa, quid memorem vias, et urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax secura loco, quiesque nullis
Turbata exsiliis, frequensque rerum
Semper copia, et artium bonarum.
Felix Mantua, centiesque felix,
Tantis Mantua dotibus beata,
Sed felix magis, et magis beata,
Quod his temporibus, rudique saeclo
Magnum Castaliona protulisti!

XXXI.

Ad Caesarem Flaminium.

Caesar aeterno mihi juncte amoris
Vinculo, immites aditure mecum
Non modo Hyrcanos, Erebi sed atra
Regna profundi;

Ne mihi pulchros Ligurum recessus,
Neve Campani memores venusta
Rura Sebethi, aut placidas amoeni
Tiburis arces.
Ipse nil docti patriae Catulli
Comparo; hic vivam, et moriar beatus:
Hac mihi toto nihil est in orbe
Gratius urbe.
Tu ferax vatum generosa tellus,
Hospitum nutrix et amica, vatem
Hospitem sese tibi dedicantem
Candida nutri.
Vos lares dulcis patriae valete;
Non enim possum miseras videre
Civium pugnas gladiosque fratrum
Sanguine tinctos.
Vos tamen semper mea mens amabit,
Me licet Parcae rapiant ad orbem,
Zona quem Solis dirimit corusco
Torrida ab igni.

XXXII.

De Fonte Bagnajae.

Hunc fontem amoenum qui vireta limpidis
Et ornat, et foecundat ista rivulis,
Magni Rodulphi magna liberalitas
Caesis medullis montium canalia
Per longa duxit; hoc tibi, terra optima,
Dans munus omni praeferendum muneri.
Nam quod vetusto polliceris nomine,
Praestare nunc primum incipis uberrima
Lympha; vocari scilicet Bagnaja,
Vocabulo jam patrio dignissima.

XXXIII.

Ad Villam Marianam de Victoria Columna.

Salve magna domus, meae Columnae
Natalis, domus o beata salve,
Hicne vagiit illa Musa, doctis
Quam Phoebus decimam addidit Camoenis?
Caeli lumina vidit hicne primum
Caelo femina digna; digna celsis
Nasci et vivere in aedibus deorum:
Supra sidera sidus ipsa clarum?
O felix domus! hic Minerva pulchras
Artes edocuit meam Columnam:
Hic illi citharam dedit canorus
Apollo; superaque, dixit, omnes,
O Victoria, feminas canendo,
Quotquot magna tulit feretque tellus:
At te ne superent novem sorores,
Jovis progenies novem sorores.
Fortunata domus, domus beata,
Audisti toties meae Columnae
Illa carmina quae movere mentes,
Quae vim sistere fluminum solebant.
Tibi Cynthia silva saepe, saepe
Invidit tibi Cirrha et antra Pindi
Et fontes Heliconii recessus.
Jactat Creta Jovem, suam Dianam
Delos inclyta: tu tua Columna
Gloriare domus beata: pace
Et Jovis liceat loqui et Dianae,
Non Delo minor es, minorve Creta.

XXXIV.

Ad Dianam.

Casta Latonae soboles Jovisque,
Quae pharetratis comitata Nymphis,

Cynthium collem peragras, nigrique
Silvam Erymanthi,
Bocchius, linguae decus utriusque,
Doctus errantes agitare cervos,
Hanc tibi villa media locatam
Dedicat ulmum;
Unde veloci domitae sagitta
Pendeant lynces, timidique damae,
Atque vivacis tibi consecrata
Cornua cervi.

XXXV.

Catella ad Reginaldum Polum.

Cur me, Pole, tua venire ad urbem
Lectica prohibes? tuae quid, oro,
Summae participem benignitatis
Esse non pateris? Canes bonorum
Heroum comites fuere semper;
Et caelum Canis incolit supremum
Inter sidera; nec polus, beata
Sedes caelicolûm, suam Catellam
Dedignatur habere secum: at ipsa
Sum despecta tibi, nec unum apud te
Angulum valeo impetrare. Verum,
Si nostram vacet aestimare formam,
Non indigna tuo favore credar.
Est pilus mihi lucidus, venustae
Pendent auriculae: nigris ocellis
Et caudae placeo jubis comatae.
Nec sum corpore vasta, nec figura
Tam brevi, ut videar puellularum
Comes dignior esse quam virorum.
Nec turpi scabie laboro, nec sunt
Invisi pulices mihi molesti.
Nec sum prorsus inutilis futura,

Si lassam recreas vehisque tecum ;
Nam pedes tibi suaviter fovebo ,
Qui jam frigoribus rigent acutis .
Nec vero timeas , luto referta
Quod via assidue ambularim ; amicus
Et cliens tuus optimus , Morilla
Me suis manibus pie ac benigne
Puro flumine ter quaterque lavit ,
Et munda dedit esse mundiorem
Sponsa , quam bona mater ad maritum
Vult deducere nuptiis paratis .
Quod si non satis haec videntur esse
Ad flectendum animum tuum ; catelli ,
(Ah nimis miseri mei catelli !)
Te , precor , moveant , tenella pleno
Quos gestans utero , pedes movere
Vix queo amplius : et tamen necesse est ,
Milliaria singulis diebus
Multa conficiam misella , ni te
Volo linquere . Sed prius vel istis
Optem filiolis meis sepulcrum
Fiant viscera matris ; ipsa praeda
Optarim prius esse vel luporum ,
Quam te , maxime Pole , derelinquam .

XXXVI .

Catella in Madium .

Quid , efferate , quid , Madi nequissime ,
Catella feci blandula ,
Cur me meosque liberos crudeliter
Lingua proterva perderes ?
Per te , sceleste , factum , ut asperas quoque
Polus benignus in feras ,
In me foret crudelis , ac meas preces
Ventis ferendas traderet ;

Et quae reliqui patriam, et dulces lares,
  Ne stulta vos relinquerem,
Afflicta, maerens, semimortua cum meis
  Linquor catellis in via,
Futura praeda mox lupis rapacibus,
  Turpive corvorum gregi.
Nec forma rara, nec mihi fidelitas
  Favore digna profuit:
Nec pulchra proles, ventre quam gero, saxea
  Mollire quivit pectora.
Proles misella, matre cum miserrima,
  Eheu tenebras horridas
Adibis Orci, antequam nata haurias
  Jucunda caeli lumina!
Hoc urit anxium cor, hoc multo mea
  Me morte pejus enecat.
At tu catellam amabilem et mitissimam
  Qui caede perdis impia,
Madi, in molossum pessimum incidas, precor,
  Qui te deos inanibus
Votis vocantem laceret, ac membra omnia
  Dente cruento differat.

XXXVII.

Ad Auram de Reginaldo Polo Card.

Aura, quae lucum viridem pererrans
  Nos levi blande recreas susurro,
  I, citis, quaeso, pete Reginaldum
    Candida pennis;
  Tempera et suavi rapidum calorem
  Spiritu circum volitans, nec aestus
  Igneus frangat sine delicati
    Corporis artus.
  Sic ferum semper Boream sonoro
  Æolus clausum teneat sub antro:

Sic tibi nunquam noceat furentis
Impetus Austri.

XXXVIII.

** De Libellis Andreae Naugerii.*

Quot bruma creat albicans pruinas,
Quot tellus Zephyro soluta flores,
Quot spicae Libycis calent in agris,
Quot vindemia porrigit racemos,
Quot vastis mare fluctuat procellis
Cum nascens pluvias reportat Hoedus,
Quot Ceraunia frondibus teguntur,
Quot caelum facibus micat serenum,
Quot sunt millia multa basiorum
Quae dari sibi postulat Catullus,
Quotque sunt atomi Lucretianae,
Tot menses, bone Naugeri, tot annos
Vivent aureoli tui libelli.

XXXIX.

Ad Musas de Horatio Gualterutio Caroli Filio.

Nymphae progenies Jovis supremi,
Cultrices Heliconii recessus,
Quas cantus juvat et leves choreae,
Vobis se famulum dicat tenellus
Hic puer citharam ferens eburnam
Et stylum et tabulas, puer disertus
Et dicaculus et nitens, novella
Ut myrtus viridi hortulo. Puellae

* Carmen hoc M. Ant. Flaminius in libellos Jo. Antonii Flaminii patris edidit, quod postea meliori consilio, paucis mutatis, de libellis Andreae Naugerii cecinit.

Pulchrae, illum sinite ad vireta vestra
Laetum accedere; nec juventa molli
Flore vestiat os ei, poëta
Dum factus culicem Maronis aequet,
Aut vincat potius, venustiora
Ludens carmina roscidis sub antris.

XL.

Ad Horatium Gualterutium Caroli Filium.

Alumne Musarum puer, tibi Thalia dulcis
Ab urbium frequentia remoto in antra Pindi,
Frondis corona myrteae caput decorum inumbrat,
Lyramque eburneam aureo docet ferire plectro;
Docet sonare vocula dulci melos suave,
Quo fluminum volubiles moratur illa cursus.
Non plus Marone parvulo canorus olim Apollo
Gaudebat: Orpheum parens non plus tenellum amabat.
O digne vita caelitum, tibi neant Sibyllae
Vivacis aevum innoxiae manus trium sororum.

XLI.

De Gaspare Contareno.

Descripsit ille maximus quondam Plato
Longis suorum ambagibus voluminum,
Quis civitatis optimus foret status:
Sed hunc ab ipsa saeculorum origine
Nec ulla vidit nec videbit civitas.
At Contarenus optimam Rempublicam
Parvi libelli disputationibus
Illam probavit esse, plus millesima
Quam cernit aestas Adriatico in mari
Florere pace, literis, pecunia.

XLII.

Ad Rodulphum Pium Card. de Morte Constantini fratris.

Jam modum figas nimio dolori,
Magne Rodulphe, et pueri quietam
Desinas umbram miseris querelis
Sollicitare.
Occidit frater tibi jure dulci
Carior vita; tamen ille justis
Non reviviscet lacrimis: nec ipsa
Parca movetur
Questibus; nec te pietas juvabit
Hic tua. Obscuras potuit deorum
Manium sedes penetrare quondam
Thracius Orpheus,
Visus et blandae citharae canoris
Vocibus saevas Furias movere,
Conjugem caram superas ad auras
Ducere tendens.
Paene jam lucem miser hauriebat;
Ditis impulsu stetit, et sequentem
Respicit: retro fugit illa venti
Ocyor alis.
Hanc Charon putri revehit phaselo,
At procul ripa minitans, maritum
Arcet incassum repetentem avari
Munera Ditis.
Scilicet leges superum refigat
Nemo; mortalis pereat necesse est:
Ut libet, vitam pater ipse divûm
Donat et aufert.
Mors rapit cunis cita vagientem:
Flore sub primo cadit alter aevi:
Hic nimis vivax queritur caducae
Damna senectae.

Sic Jovi magno placitum. Quid ergo
Nitimur contra? miserique semper
Vivimus? quanto satius, libenter
Ferre quod aequa
Mente ni suffers, tamen est ferendum!
Quo reluctantes trahere obstinata
Vis solet stultos, sapienter ipsi
Ibimus ultro.

XLIII.

Ad Achillem Bocchium.

Ergo (proh superûm fidem!)
Isto contegitur marmore Julia,
Clarum Felsineae decus
Urbis? sic igitur, sic periit bona
Nostri mater Achillei?
Nec quidquam pietas sollicita in deos,
Nec quidquam integra profuit
Et mens, atque animi candor amabilis?
En quisquam, juvenum optime,
Consolando tuis ponere lacrimis
Finem cogitet? hic, miser,
Hic flendum, hic querulis omnia cantibus
Imple. Haud aspera nuno suis
Intrantem pepulit te foribus Chloë;
Non, non candidior nive
Fastidit tua nunc carmina Tyndaris,
Et collo dare brachia
Orantis refugit: sed miser, ah miser,
Mater Julia, Julia
Heu mater, propriis luminibus tibi, et
Vita carior occidit!
Quid laudare sacris usque pium juvat
Vatem numina cantibus?
Lesboumque agili tangere barbiton

Plectro? ah carmina, barbitos,
  Surdorum ah valeant numina caelitum.
Sed quid irrita fundimus
  Lamenta? immeritos invidia deos
Quid pulsamus inutili?
  Omnes una eadem mors manet. Ibimus
Omnes ad tenebras nigri
  Plutonis: sed enim cum semel occidis,
Non forma, aut decor ingenî,
  Nec te cana Fides eripiet feri
Ex Orci manibus. Pius
  Frustra, parce nihil proficientibus
Jam, Bocchi, querimoniis.
  Maternas, aliquis si manet Inferis
Sensus, credibile est tuo
  Laedi umbras gemitu. Desine, desine;
Et constanti animo feras,
  Quod mutare nequit dura necessitas.

XLIV.

Ad Caesarem Flaminium.

Ne Midae ingentes stupeas acervos,
  Caesar, aut fultam Pariis columnis
  Regiam, aut regis nitido micantes
    Ære catervas:
Ista sed vulgus feriant inane.
  Tu piam mentem superos, domumque
  Parvulam et quantum satis est agelli
    Fertilis ora.
Ille thesauros Arabum et superbas
  Indiae gazas habet: has et illos,
  Mente qui celsa, populique vanos
    Spernit honores.
Tu licet regno potiare, dives
  Quod tenet Medus, tamen usque servis,

Imperat donec tibi plus habendi
Dira cupido.
Triste portentum, macieque semper
Lurida pallens: nihil hac ab Orco
Saevius misit superas ad auras
Ira deorum.
Cautus hanc vita: fugit hora curis,
Et simul vitae positura finem.
Post rogum distat nihil ipse nudo
Croesus ab Iro.

XLV.

Gratulatur, Alexandrum Farnesium gravi morbo liberatum esse.

Da vati citharam, puer,
Et mecum superis incipe debitas
Cantu solvere gratias,
Qui nobis juvenem restituunt sacrum.
Jam tristes querimoniae
Cessent, jam lacrimis, optima civitas,
Tandem pone modum piis:
Jam dì, Roma, tuas audierunt preces.
En Farnesius inclytus
Vivit, nec miseram funere patriam
Foedat. Dicite, virgines,
Dìs laudes, pueri, dicite, candidi:
Ludis, laetitia, jocis
Et faustis resonent omnia plausibus.
Caelo nubila Juppiter
Pellat. Sol, nitidum jam caput exsere.
Urna fundere limpidas
Undas incipiat jam Tyberis pater,
Et septemgeminos tegant
Montes purpureis lilia cum rosis.
At tu, Romuleae parens
Urbis, certa salus et decus Italae

Gentis, maxime Paulle, jam
  Divis solve bonis vota: nepos valet,
Invictoque animo feret
  Tecum una imperii pondera maximi;
Alcides velut impiger
  Fulsit supposito sidera vertice.

XLVI.

Ad Bacchum.

Hanc vitem tibi dedico racemis
Gravem purpureis, pater Lyaee;
Pro qua tu mihi vineam tuere
Non dico a Satyrisve capreisve,
Non a grandinis impetu vel Austri,
Sed a Pygmalione Formiano
Qui sua horribili voratione
Plus nocere queat duabus horis,
Quam grando, Satyrique, capreaeque
Et venti rabies duobus annis.

XLVII.

Jocatur in Pygmalionem Formianum.

Si villam mihi laeserit pusillam
Pagus, surripiens favos, merumve
Aut pernas, oleumve, fictilesve
Urnas, haud equidem deos rogabo,
Furum ut grandine rura verberentur,
Dum fruges gravidis tument aristis,
Nec lupi ut rapiant oves, sed unum hoc
Vindicem scelerum Jovem precabor,
Ut cum ducere coeperit colorem
Uva livida, mittat horum in agros
Dirum Pygmaliona, vinearum
Pestem, et Tartareo cane et Charybdis
Hiatu horribili voraciorem.

XLVIII.

Ad Vicinos.

Vicini, moneo, procul fugate
Istum Pygmaliona, vinearum
Diram perniciem: canum frequentes
Adsint excubiae: diem atque noctem
Sagittae et lapides minentur; et cum
Isthaec omnia feceritis, ipse
Vias inveniet tamen vorandi.

XLIX.

Vinea.

Illa ego innumeris onusta nuper
Racemis, decus inclytum coloni,
Omnes vinea vineas propinquas
Vincens fertilitate, nunc nec unum
Quidem servo acinum misella. Quaeris,
Unde haec pernicies mihi, viator?
Venit Pygmalion silente nocte,
Et una minus hic moratus hora
Me, quis crederet? integram voravit.

L.

Vinitores.

Praetor optime, vineas tueri
Ab hoc Pygmalione jam nequimus.
Quo vorat magis, in dies et horas
Augescit magis et magis vorandi
Libido furiosa, nec Charybdis
Hujus viscera quidquid est ubique
Uvarum saturare possit: ergo
Rogamus miseri coloni, ut ista
Tempestas barathrumque vinearum

Pellatur procul hinc malas in oras,
Dum vindemia pendet: aut bibemus
Lympham pro mero, et omnium labores
Obscoena ingluvie unius peribunt.

LI.

Ad Pygmalionem.

Cedat, Pygmalion, tibi Celaeno,
Harpyiaeque aliae malae et rapaces:
Cedat horribilis Chimaera: cedat
Et Scyllae rabies tremenda, et illa
Cedat insatiabilis vorago
Quam Graji veteres vocant Charybdim.
Cedat tergeminus canis, laborque
Cedat Herculis Hydra: vincit omnes
Tua insignis edacitas; nec illam
Jam queat saturare vinearum
Quidquid maximo in orbe Sol tuetur.

LII.

Ad eumdem.

Uvae pernicies nefanda, si quam
Pro tua ingluvie fera et tremenda
Poenam judicio meo mereris,
Hanc jus exigat: optimas ad uvas
Relegere, manus pedesque vinctus,
Et semper capiti tuo imminentes
Racemos habeas, eosque nunquam
Possis tangere. Non mehercule orbis
Rotae Ixioneae, vel unda fallens
Parentem Pelopis, vel omne in aevum
Renascens Tityi jecur, vel ingens
Saxum Sisyphi et omnium impiorum
Poenae omnes simul huic tuo, miselle,
Queant supplicio pares vocari.

LIII.

Ad Bacchum.

Tu, qui centimanum potes gigantem
Caelo trudere, Pentheumque regem
Leto mittis et impium Lycurgum;
Et Gangem superas et ultimum Indum,
Invictissime Bacche; non furentem
Istum Pygmaliona jam coërces?
Qui fera ingluvie incitatus omnes
Vineas vorat et tuum liquorem,
Qui servandus erat cadis in annos
Plures, mittere ventris in cloacam
Totum pergit, et annuos labores
Absumit male pauculis diebus.
O monstrum horribile ultimas in oras
Pellendum, aut magis Inferos ad imos!

LIV.

Ad eumdem.

Quod nostras, bone, vineas, Lyaee,
Servasti incolumes et integellas,
Diro Pygmalione ceterorum
Vineta ingluvie fera et nefanda
Vastante, hoc tibi ponimus sacellum;
Quod pro tempore fit quidem pusillum
Acerna ex trabe, sed tamen venustum est:
At si sustuleris ferum et tremendum
Hoc monstrum, populus tibi merenti
Ædem marmoream, pater, sacrabit.

LV.

De Hortis Blosii Palladii.

Blosi villula ter quaterque felix,
Felicissimi hortuli poëtae

Venusti, teneri mei sodalis,
Quo vivente, sales, joci, lepóres
Vivent; ac, pereunte, disperibunt:
Ille molliculam suam Turundam
Vos docet resonare, vos jocosis
Ludentem hendecasyllabis odoro
Fovetis gremio: relicta Apollo
Cirrha, Pieridesque vos frequentant,
Ex quo deliciae suae, suique
Amores Blosius vireta vestra
Cirrhae praetulit Aoniquc monti.
Quid mirum, bona rura, si feratis
Dulci nectare poma dulciora?
Has dulcissimus omnium poëta
Plantulas manibus suis feraces
Sevit, inserit et colit, suoque
Musaeo assidue rigat lepóre.
Hoc perfusa lepóre tam venustos
Flores, tam varios benigna tellus
Passim fundit humo: hoc lepóre eodem
Fontes lucidul, antra opaca, amoenum
Nemus tectaque pulchra condiuntur;
Ut omnes Veneresque Gratiasque
Hortis omnibus omnibusque villis
Omnino videamini abstulisse,
Hortuli nimis et nimis beati,
Tuque villula ter quaterque felix.

LVI.

Ad Blosium Palladium.

Qualis susurrus arboris, cum florido
Jam vere ludit aura primis frondibus:
Vesanientis quale per Caniculae
Æstum jacere in discolore gramine,
Sub umbra amoena, fontis ad lympham sacri;
Tales mihi, poëta jucundissime,

Lusus tui, quibus Turundam carmine
Tam bello, amabili et faceto concinis;
Ut illa carior Catulli passere
Jam sit mihi, sive est quid illo carius.

LVII.

De Turunda Blosii Palladii.

Turunda, turdis esca solis cognita,
Venusta cum te Musa non cognosceret,
Nunc es lepóre versuum dulcissimo
Condita sic a Blosio meo, ut cibus
Sis facta mensis principum gratissimus.

LVIII.

De eadem.

Turunda, turdos sueta edaces pascere,
Postquam faceti Musa culta Blosii
Dulcem lepórem carminis tibi addidit,
Non amplius turdos agris, sed urbibus
Mentes virorum pascis elegantium.

LIX.

Turunda.

Cum domos humiles Turunda ruris
Ignota incolerem, dolosque turdis
Hic parare solerem, amore captus
Mei Blosius, omnium poëta
Urbanissimus, ad suos penates,
Et palatia celsa Vaticani
Montis ducere rusticam rudemque
Haudquaquam erubuit, suaeque Musae
Jocis et numeris leporibusque
Condiens, ita amabilem saporem
Addit mihi, ut ire non vererer

Ad mensas hominum elegantiorum.
Quin Farnesius ipse, flos Quiritum,
Coenas magnificas sua Turunda
Ornat quotidie. Haec ego ipsa mecum
Non semel reputans, satis superque
Fortunata mihi videbar esse,
Ut quod praeterea deos rogarem,
In mentem hercule nil venire posset.
At nunc maximus ille rex Olympi,
Qui terras tonitru quatit sonoro,
Misit alipedem deum venusta
Forma, pileolo comas tegentem
Flavas, anguibus implicata virga
Cui gestamen erat manus decorae,
Ardebant oculi, et genas rubentes
Pingebat niveus color, novoque
Malas flore juventa vestiebat.
Is me purpureo ore ter quaterque
Tentans corripuit, volansque summum
In caelum ad teneram tulit puellam,
Pulchram, Juppiter! et decentem, aitque:
Quam gentes Italae vocant Turundam,
Servato, soror, usque dum parata
Jam coena pater accubet: petenti
Tunc dato hanc; etenim poëta summus,
Cui nomen Blosio est, eam canendo
Tantis laudibus extulit, comesse
Ut ipsam cupiat pater deorum;
Et quidem meritissimo; sapore
Haec enim ambrosiae mihi videtur
Longe suavior, omnibusque rebus
Mortales quibus, et quibus beati
Pascuntur superi. Haec locutus ille
Abit: me nivea puella dextra
In cella bene olente collocavit,
Ubi sunt epulae deûm repostae.
Sic ego auspiciis bonis ab agro

Ad urbem veniens, ab urbe summum
In caelum penetro, cibus supremo
Jovi et caelitibus futura magnis.

LX.

Turunda.

Quis hoc credat? ego illa, quam comesse
Nec dites neque pauperes solebant,
Quae solis avibus parabar esca,
Nunc lautis superûm Turunda mensis
Acceptissima sum; nec ullus est jam
Qui non ambrosiae meum saporem
Longe praeferat: ore quisque divûm
Me vorat cupido, et canistra plena
Mensis terque quaterque fert Juventa;
Nec tamen satis est. Quid erudito,
Dicat forte aliquis, deûm palato
Te gratam facit, o Turunda? nempe
Blosî daedala Musa me lepóre
Suo condit ita apte et eleganter,
Ut quo plus edor, hoc magis magisque
Augescat studiumque amorque edendi.
Quod ni caelicolas pudor vetaret,
Ab iis manderer usque et usque et usque:
Junonique Jovique ceterisque
Dis magnis, mediocribus, pusillis
In manu forem, et ore continenter.

LXI.

Turunda.

Quam sim caelitibus Turunda grata,
Blosi, disce simul, simulque ride.
Formosus Veneris puer, puerque
Idaeus Jovis inclyti minister,
Me semper manibus gerunt, vorantque,

Seu domi libeat manere, sive
Per caeli varias vias vagentur.
Hos quidam e superis senex, opacam
Qui barbam gerit, intuens ocellis
Obliquis gemuit, dolensque dixit:
Felices pueri, quibus Turundam
Per annos licet esse continenter,
Et domi et platea quoque frequenti;
Quod idem ut liceat mihi, libenter
Sim trimus puer. At tibi senectus
Sit semper viridis, poëta magne,
Cujus munere praeferor beatis
A dìs ambrosiaeque nectarique,
Seu quid suavius est, magisve dulce.

LXII.

Turunda.

Illa ego, illa Turunda, rusticorum
Quae spurca fieri manu solebam,
Ut turdos caperem, cibus dolosus,
Nunc domum Jovis incolo supremi,
Ad caelum hendecasyllabis vocata
Blosî candidi et optimi poëtae.
Hic me pulchra Juventa delicatis
Confectam manibus suis, deorum
Ad mensam aureolo ferens canistro
Omnes exhilarat. Vorat jocosa
Ore purpureo Venus Turundam·
Implet Juppiter os suum Turunda:
Turundam ambrosiaeque nectarique
Praefert Mercurius: deûm palato
Nil est denique gratius Turunda.
Immo dîque deaeque cum Turundae
Nil dulcedine posse comparari
Arbitrantur; et omnium Turunda
Praestantissima judicor ciborum.

At tu, culte poëta, qui facetis
Tuis versibus evehens ad astra,
Me misces dapibus deorum, amicos
Illos experiare semper; et cum
Terras liqueris, ad tuam Turundam
Fruendam venias, receptus almi
Jovis concilio sacraque mensa.

LXIII.

Turunda.

Quod orta in agro et educata rusticis
Casis, Quirini moenia et celsas domos
Mensasque principum virorum maxima
Cum laude adivi, et inde campos aëris
Erecta supra, Solis aureum jubar
Et clara Lunae cerno sub me lumina;
Quod me Juventa pulchra delicatulis
Formare palmis gaudet, et quod infimis
Terris cibus volucrum, at alto in aethere
Cibus deorum nominor gratissimus;
Quod denique ille rex Olympi maximus,
Suprema rerum cui potestas omnium,
Me dulciorem affirmat ipso nectare,
Tuae Camoenae, Blosî, id omne debeo;
Tuae Camoenae qua nec ulla dulcior,
Nec ulla coetu dignior coelestium.

LXIV.

Turunda.

Pater deorum, vosque magni caelites,
Si quid Turundae vota supplicis valent,
Si dulce vobis exstitit quidquam meum,
Meo poëtae digna, quaeso, praemia
Pro liberalitate vestra solvite.
Ut ipse dulci dulciorem nectare

Vobis Turundam reddidit, sic illius
Vos integratis viribus concedite,
Forti juventa ut sit senecta fortior,
Cunctisque rebus, ut cupit, fluentibus,
Tantis dies noctesque abundet gaudiis,
Ut semper ipsi laeta portet somnia
Quies profunda, dulcis et facillima.
Tum quos paravit delicatos hortulos,
Pomona semper incolat, nec arbores
Æstu sinat, durove laedi frigore,
Notive flatu, aut verberante grandine.
Hic uva Cretam vincat; et Phaeaciam
Malus pyrusque; Mediamque citrius:
Hic prata semper floribus laetissima,
Hic sint Favonî grata semper murmura;
Semper volucrum silva cantus audiat;
Nec manet ullo fonte lympha purior
Loquaciorve; cumque vis Caniculae
Furens hiulcat arva, siccat uberes
Aquas, abundet hic amoenus fontium
Liquor, gelu nivisque vincens frigora.
Senex facetus sub virente pampino
Projectus alta in herba ad undas vitreas
Suam Turundam cantet: illum Naïdes
Inusitato carminis tactae sono
Lustrent choreis: serta canis crinibus
E fronde myrti nectat alma Cypria.
Sic ille centum laetus annos exigat,
Nuuc civitatis deserens frequentiam,
Nunc infrequentes urbe mutans hortulos.
At cum peractis cursibus vitae seni
Jam fila Parcae legerint novissima,
Illique placida mors ocellos clauserit,
Blandi soporis more sensus auferens,
Suam Turundam visat alto in aethere
Poëta coetu caelitum dignissimus.

LXV.

Ad Blosium Palladium.

Poëta docte, culte, amabilissime,
Ipsa Turunda dulcior, quod audeo
Tuae Camoenae candidae facetias
Laudare turpi et infaceto carmine,
Ecquid perinde ineptio, ac si condiam
Absinthio mel? aut lutosa dextera
Velim polire virginem pulcherrimam?
Sed contra habeto sic, et animum advertito;
Ut pulchra turpi comparata pulchrior
Puella fit; sic et poëtae non bono
Bonus poëta copulatus, optimi
Nomen lucratur: ipse, qui jure optimo
Poëta passim nominaris optimus,
Quid ergo non lucraberis, si plumbeas
Nugas meas tuosque versus aureos
Uno atque eodem junxeris volumine?
Sed serio tandem ut loquar, quae carmina
Scripsi jocando de Turunda, haec nemini,
Si quid tuum sodalem amas, ostenderis;
Nam tecum ineptus esse et insulsissimus
Impune possum, ceteris sim fabula.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER SECUNDUS

Ad Stephanum Saulium.

I.

Pone metum, Sauli, longas jam pone querelas;
Flaminius valet, ac laetus tibi carmina dictat.
Scilicet ut Romae corruptas fugimus auras,
Et riguos patriae montes, saltusque salubres
Venimus, effoetos venit quoque robur in artus,
Diffugit macies, diffugit corpore pallor,
Et somnus vigiles irrepsit blandus ocellos;
Quem neque desiliens crepitanti rivulus unda,
Nec Lethaea mihi duxere papavera quondam.
Jam valeat Romana meo cum Principe tellus;
Certum est, in patriis aevum consumere silvis.
Si laetus pomis et vili pascor oliva,
Et juvat angusto vitam traducere tecto
Ignotum, duplici pellentem frigora panno,
Quid Regum turres ac limina magna potentum
Persequor, et dulcem dimitto stultus agellum?
At tu, quem virtus, generis quem antiqua superbi
Ad summos jam nobilitas tollebat honores,
Vitasti sapiens urbana negotia: nunc te
Lauricomas inter silvas, citriosque nitentes
Musarum placidae traducunt otia vitae.

Tu gelidam stratus formosi fontis ad undam,
Qua leviter cultis immurmurat aura viretis,
Occultas rerum caussas, caelique meatus,
Quid deceat, quae sint fugienda, sequendave, tractas.
Tu magni eloquium Tulli, numerosque secutus,
Condis perpetuis mansura volumina chartis.
Nec tamen irriguos hortos ornare colendo,
Nec citrium serere, aut buxum tondere comantem
Negligis, aut sedes apibus optare quietas,
Dulcia divini decerpens gaudia ruris.
Te, juvenis venerande, sequar; quantumque benigni
Dî dederint vitae, contentus paupere tecto
Jam vivam mihi secretis inglorius arvis.

II.

Ianthis.

Venisti tandem, tandem, mea sola voluptas,
Venisti, et lucem miserae vitamque tulisti.
Quantum vere novo gaudet lasciva capella,
Æstivis quantum sitientes imbribus horti,
Tantum, Mopse, tuo reditu laetatur Ianthis.
Te sine, care puer, leto mihi tristior ipso
Vita fuit, tardoque dies mihi tardior anno.
Seu tenebras Vesper, seu lucem ferret Eous,
Me flentem Vesper, flentem cernebat Eous.
Lugebant silvae, lugebant mollia prata,
Formosusque suos amiserat hortus honores;
Et desiderio domini pecus omne peribat.
Dulcia nunc tecum redierunt gaudia cunctis.
Aspice, te laeta pinus complectitur umbra;
Arguto properans te murmure lympha salutat,
Albaque purpureum tibi ducunt poma colorem;
Ipsa ego nunc dulci saturabo lumina vultu.
Discedet macies, discedet corpore pallor,
Et tecum longos peragam feliciter annos.

Seu teneras solito pasces in monte capellas,
Seu patrios fines linques et pabula nota,
Quidquid ages, formose puer, tua cara puella
Tecum semper erit, terras comes ibit in omnes.
Jam didici, quid sit juvenem exspectare morantem;
Exspectans una vel nocte puella senescit.

III.

Ad Nymphas de Fonte Philalethis.

Naiades pulchrae, pulchris e fontibus ortae,
Hanc lympham vobis Philalethes dedicat. Illa
Nec fons frigidior quisquam nec purior: at vos
Arenti vestram lympham defendite ab aestu,
Neu sitiant myrti, neu desit floribus humor;
Et domino ruris viridem servate senectam.

IV.

Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem.

Farnesi, vatum decus et spes unica, nostri
Solus principium et finis tu carminis esto:
Utque optata mihi dexter facis otia, sic te
Mansuro liceat cantu celebrare, meisque
Floreat aeternum tua virtus inclyta chartis:
Quod spondent Musae et cultus mihi semper Apollo.
Nam qui nec vates, nec dulcia carmina curat,
Ille licet gazas Arabum, Croesique talenta
Congerat, et prisco sit regum a sanguine cretus,
Attigit infelix ubi metam ignobilis aevi,
Despectum jacet in tenebris sine nomine corpus,
Villicus occulto moriens ut pauper agello.
Quaeque pio vati prudens si dona dedisset,
Viveret exsequiis invita morte superstes,
Illa meretrici dabit haeres. O male sani,

Discite divitiis uti sapienter. Avaris
Obruit hic aurum terris, caecoque furore
In mediis opibus vivit rerum omnium egenus:
Alter avaritiam saeva plus morte perosus,
Rem patriam stulte vetitos effundit in usus,
Ingentemque auri scurrae populantur acervum.
At sapiens recte dispensat dona deorum;
Dat partem patriae; reficit labentia templa;
Et Musas fovet et sacros ante omnia vates.
Ergo illum dulci tollunt super aethera cantu,
Mortalemque vetant invisae occumbere morti.
Sic Maecenatis, quo Tuscia gaudet alumno,
Usque feret nomen diversas fama per oras,
Dum rapidus circum terras volvetur Olympus.
Ille quidem magnos reges aequaverat auro,
Cumque ipso curas partiri et gaudia suerat
Augustus Caesar, rerum cui prima potestas:
Sed nihil Augustus, nil pondera divitis auri
Profuerunt, vitae legeret cum fila suprema
Parcarum manus. Obscura caligine leti
Consitus inferna semper latuisset in umbra,
Ni miserata virum divini Musa Maronis,
Ipsius ad clarum famam evexisset Olympum.
Scilicet ingeniis varia est vis insita: rerum
Invigilant alii caussas aperire latentes;
Et convexa poli penetrant, manesque sub imos:
Hic jura imperiis describit: at ille rotundo
Attentum ore tenet populum magnumque senatum.
At si quem placidis nascentem vidit ocellis
Castalii regina chori et formosus Apollo,
Ille urbis strepitum fugit, viridantia silvis
Rura colens, gaudet longos extendere in annos
Magnanimûm heroum divino carmine laudes.
Ergo age virtutem, juvenum flos candide, solam
Mirare, et doctos tua semper cura poëtas
Ornet alatque; tuum ut vivat per saecula nomen.

V.

De se Aegrotante.

Ergo adeo coeptum peraget Mors impia cursum,
  Ut post eversae tristia fata domus,
Me quoque surripiat primo vix flore juventae,
  Et nostra exiguus jam tegat ossa lapis?
Dî, quorum auspicio communes hausimus auras,
  Parcite nunc vitae rumpere fila meae:
Parcite, si vestros suspexi semper honores,
  Si nullo infecta est candida mens scelere.
Non prius ac caeli cursum confecit, Ibero
  Tingit anhelantes gurgite Phoebus equos:
At nunc perpetuam nobis Mors pallida noctem
  Portat, et infernos cogit adire lacus.
Et nondum est rugis facies mihi languida, nec dum
  Infecit nigras alba senecta comas.
Sic rosa vix laetum calathi pandebat honorem,
  Cum cadit, et rutilo murice pingit humum.
Jane pater, nostrae quondam spes una juventae,
  Jam condes manibus lumina nostra tuis:
Jam me postremo tumuli donabis honore;
  Et cupies tantis non superesse malis.
Ast ego secura nequidquam mente parabam
  Grandia mox Umbri dicere facta Ducis.
Ut validas olim bello devicerit urbes;
  Quem tremuit victis pulcher Isaurus aquis:
Ut nunc indomitos certet contundere Iberos,
  Italiaeque gravi solvere colla jugo.
Haec heu Persephone supremi nuntia luctus,
  Vota dedit levibus diripienda Notis.
Saepe salutifero morbum depellere succo
  Tentavi: at nulla cesserat arte dolor.
Saepe deûm supplex clamavi numina; sed non
  Audierunt nostras numina surda preces.

Quod si tanta sitis, nostrae si tanta cupido est
  Mortis, et effugii spes mihi nulla manet;
Ah liceat saltem Elysios invisere campos,
  Et fortunatae regna beata plagae;
Hic ubi cum molli Nemesis formosa Tibullo
  Ludit; et est vati Lesbia juncta suo.
Et mihi, qualis erit teneris comitata puellis,
  Occurret celeri candida Lygda pede:
Et dulces dabit amplexus, et basia junget,
  Junget et optati gaudia conjugii.

VI.

De Hercule, et Hyla.

Quid mirare, tuo si regnat corde Lycinna,
  Nec cessat tantis te cruciare malis?
Crede mihi, non solus amas; Veneris puer omnium
  Est divûm atque hominum maxima pernicies.
Audisti ne, humeris caelum qui sustulit altis,
  Ausus et inferni regna subire dei?
Ille idem tanto puerum dilexit amore,
  Ut, seu nox alto surgeret Oceano,
Seu roseo terras vestiret lumine Titan,
  Hercule cum magno candidus esset Hylas.
Nulla dies miserum puero sine vidit amantem,
  Nec cum tergemini corpora Geryonis
Sterneret, atque alios invictus mille labores
  Imperio duri susciperet domini.
Quin etiam Colchos peteret cum pulcher Iason,
  Amphytrioniadae tunc comes ibat Hylas.
Ibat Hylas, clavamque gerens, Libycamque pharetram.
  Qualis cum molli parthenice pluvia
Stat gravis, ac Phoebi radiis aspersa nitentem
  Dat lucem, Paphiae rarus honos Veneris.
Et jam Pleïades caelo caput attollentes
  Linquebant sacras Nereïdum choreas,

Cum Pagasae curvis e litoribus digressi
  Currebant celeri per vada salsa rate;
Quos comitabantur cinctae fulgentibus armis
  Pallas et ipsa potens caelicolûm domina.
Jamque volans undis Nerei mirantibus, Argo
  Mysorum claris urbibus appulerat.
Hic juvenes pictis e puppibus egredientes
  Deponunt altis membra sub arboribus,
Et molles sibi quisque toros bene olentibus herbis
  Exstruit: intonso creverat herba solo.
At formosus Hylas taciti per devia montis
  Ibat luciduli sumere fontis aquam.
Fons erat in silva puris argenteus undis,
  Quem bicolore tegit populus alta coma.
Ac circum Paphiae densant umbracula myrtus,
  Et parit assiduas aura benigna rosas,
Narcissumque, crocumque, immortalemque amaranthum
  Et te flebilibus scriptum, hyacinthe, notis.
In medio faciles nudato corpore Nymphae
  Ludebant sparsis per rosea ora comis;
Quae puerum cupido miratae lumine, cum vix
  Illius molles tingeret unda pedes,
Arreptum subito vitreum traxere sub amnem;
  Ut quondam veris tempore purpurei
Stella volans, caelo noctis delapsa per umbram
  Emicat, inque alto conditur Oceano;
Tunc laetus clamat summa de puppe magister,
  Candida felici pandite vela Noto,
Pandite; nam caelo superi bona signa dedere.
  Sic ait, et placidis per mare fertur aquis.
At miser Alcides casu perculsus acerbo
  Amissum toto litore clamat Hylam:
Litore Hylam, furibundus Hylam per devia quaerit;
  Qualis turicremas parva juvenca deûm
Concidit ante aras: sed fati nescia mater
  Non jam frondifero pascitur in nemore,

Nec dulcem puri libavit fluminis undam;
Sed fertur celeri per nemora alta pede,
Omnia mugitu complens, si forte veniret
Bucula maternis obvia luminibus.
Sic heros, Hyla ingeminans, Hyla omnia replens
Errabat dubio per loca sola pede.
Quantas ille fero profudit corde querelas!
Pallenti quantas ore dedit lacrimas!
Cum saepe optaret scopulo se mittere ab alto,
Aut vitam rapidis ponere fluminibus.
Interea curvo solvens de litore funem,
Colchorum fines iverat Æsonides;
Quem desiderio pueri confectus inani
Mox sequitur lacrimans Amphytrioniades:
Hos tu sollicitos heroum doctus amores,
Disce libens durae ferre jugum dominae;
Nec te jam pigeat quemvis perferre laborem.
Omnis amor longo vincitur obsequio.

VII.

De se proficiscente Neapolim.

Pausilypi colles, et candida Mergillina,
Et myrteta sacris consita litoribus,
Si mihi post tantos terraeque marisque labores
Contigerit vestrae limina adire Deae;
Limina, quae vates specula fundavit in alta
Actius, Eois clarus et Hesperiis;
His ego pileolum figam et calcaria et ensem
Et quaecumque vagus arma viator habet.
Nec mihi jam quisquam vel prudentissimus ullas
Aut pelagi aut terrae suaserit ire vias;
Non mihi Persarum si detur regia gaza;
Non mihi si rubri serviat unda maris.
Quis furor est, nullis unquam requiescere terris,
Atque alia ex aliis semper adire loca?

Nec vitare graves aestus nec frigora saeva
  Nec timuisse vagae mille pericla viae?
Felix, qui parvo contentus vivit agello,
  Nec linquit patriae dulcia tecta domus.
Quem versare juvat foecunda ligonibus arva,
  Et nitidam vitis fingere falce comam.
Aut gelidam summo lympham deducere clivo,
  Æstibus ut mediis arida prata bibant.
Aut tondere gregem lucenti vellere amictum,
  Et tonsum liquidis mergere fluminibus.
Hic laribus certis certisque sodalibus utens
  Magnorum vita caelicolûm potitur.
Nec violentus eum crudeli vulnere latro,
  Nec fera caeruleo perdidit unda mari.
Ille suis moriens suprema dat oscula natis
  Deficiens casto conjugis in gremio.
Illa viri fugientem animam dulci excipit ore,
  Et claudit tenera lumina cara manu:
Dehinc tumulum viridi componit margine fontis,
  Qua vetus arboreis decidit umbra comis.
Huc madefacta piis lacrimis fert liba quotannis
  Cum pueris veniens maesta puella suis:
Et magna manes compellat voce mariti,
  Spargens fictilibus lac niveum calathis:
Nec potis est dulci tumulo se avellere, donec
  Hesperus invitam cogit abire domum.
O fortunati cineres, umbraeque beatae,
  Morte obita, si quem talia fata manent!
At me, dum terras et vasta per aequora curro,
  Si vocet in Stygiam pallidus Orcus aquam,
Quis tumulum faciet? tumulo quis tristia libans
  Dona peregrinas flebit ad inferias?
Jam valeant Alpes et nimbifer Apenninus,
  Tuque maris nostri litus utrumque vale.
Me juvat umbrosis vitam nunc degere in hortis,
  Et Phoebo et Musis otia digna sequi.

Tum rerum caussas: eventaque dicere qua sint
  Lege colenda homini numina sancta deûm:
Qui deceant mores, faciat quae vita beatum:
  Quid verum falsis distet imaginibus.
In primis celebrare Patrem fidibus juvat, a quo
  Ex nihilo Vates omnia facta canunt;
Caelicolae quem Tergeminum venerantur et Unum;
  Qui mare, qui terras, qui supera alta regit.
O utinam ille suo me sistat numine sancto
  Ad fortunati litora Pausilypi!
Litora divino quondam celebrata Maroni,
  Et patrio Mincî flumine cara magis.
Litora quae toties viderunt Calliopeam
  Dictantem vati carmina docta suo.
Sirenes illis stupuerunt versibus: illis
  Carminibus omnis Nereïs obstupuit.
Ipse pater Tegeaeus amoena vireta Lycaei
  Linquens insolitis cantibus intererat:
Quem comitabantur silvarum numina Fauni
  Et Nonacrinae maxima turba deae.
Ille coronatus viridanti tempora myrto
  Dicebat laudes, candide Daphni, tuas;
Et quae Maenalius dulci cantarat avena,
  Dum pascit niveas Alphesiboeus oves.
Tum miseros Galli consolabatur amores,
  Duritiam incusans, pulchra Lycori, tuam.
Hinc laetas segetes et Bacchi dona canebat
  Et pecus et liquidis dulcia mella favis.
Mox sese attollens, numero graviore sonabat,
  Trojani referens horrida bella ducis;
Erroresque vagos et diruta pergama flammis,
  Visaque tartarei pallida regna dei;
Tum patri celebrata prius certamina, paene
  Femina cum Phrygias perdidit una rates.
In primis fatum miserae deflebat Elisae,
  Quam tulit heu diro vulnere saevus amor.

Siste ratem, Ænea, properas quid funus amanti?
  Per Veneris quaeso numina siste ratem.
Quod si forte tuae mors est tibi cara puellae,
  Ah saltem in gremio concidat illa tuo.
Vos, o caeruleae formosa Doride natae,
  Vos dominum ad litus, quaeso, referte meum.
Sic vestro nulli veniant in amore dolores,
  Sic vobis semper mutuus adsit amor.
Ille canit: celso properant de vertice lauri,
  Et prata omnigeno flore colorat humus.
Tu ne sacrum felix aluisti terra Maronem?
  Tu ne pio celas ossa beata sinu?
An ne etiam, ut fama est, Vatis placidissima saepe
  Inter odoratum cernitur umbra nemus?
Felices oculi, fortunatissima silva,
  Et quidquid sancto nascitur in nemore!
Cui non sit dulci patria tua dulcior ora?
  Quis non te lucis praeferat Elysiis?
Jam mihi Benaci laetissima litora sordent,
  Jam formosus aquis Mesulus irriguis.
Me tibi, terra beata, dico; tu meta laborum,
  Jamque senescentis grata quies animi.
Tu, dum fata sinunt, lucemque auramque ministras:
  Tu, precor, exstincti corporis ossa tege.

VIII.

De Alexandro Farnesio Cardinali.

Dum puer aërias superat Farnesius Alpes,
  Et permutato currit anhelus equo,
Illius crines flavos corpusque decorum
  Ambrosiae liquido sparsit odore Venus;
Ne teneros pueri Sol igneus ureret artus,
  Frangeret aut nimius mollia membra labor.
Tum mirans ait, O divûm pulcherrima cura,
  Progenies claris edita semideis,

Tu ne per alpinas cautes et inhospita saxa
  Tam tener admisso currere pergis equo?
Et rapido cursu noctemque diemque fatigas?
  Ut natus Maja pulcher Atlantiades
Cum celeres patris defert mandata per auras,
  Et pennis terras transvolat et maria.
Macte puer virtute, puer dignissime caelo,
  Caesaris ad magni colloquium propera;
Ut tua miretur jam dicta animumque virilem
  Romani custos maximus imperii.
Et te jam primis venerari discat in annis
  Paullatim, donec fulserit illa dies
Cum genibus minor ipse tuis, spectante senatu,
  Procumbet sanctis oscula dans pedibus.
Nam simul aucta suum ver dulce peregerit aetas,
  Et te maturum fecerit illa virum,
Auspicio divûm regno praefectus avito
  Aurea Romanis tempora restitues.
Fortunate puer! per te felicia deget
  Otia pacatis hostibus Italia.
Illa tibi centum ponet de marmore templa,
  Illa tibi supplex annua sacra feret.
Haec Venus; et puerum divinum amplexa recessit:
  Ille deae laetus munere currit iter.

IX.

Ad Antonium Gibertum.

Docte puer, magni pulcherrima cura Giberti,
  Progenies silvis edita Pieriis,
Te dulces oras in luminis egredientem
  Excepit tenero Calliopea sinu;
Et capiti imposita lauri de fronde corona,
  Formosa Aoniis ora rigavit aquis.
Cui puero favet illa, is firma aetate poëtas
  Antiquos doctis versibus aequiparat:

Ipsum admirantur populi, juvenesque senesque
  Attoniti pendent vatis ab ore sacro.
Seu vexat miseras discordia flebilis urbes,
  Ille suis mulcet pectora carminibus.
Seu gravis ira deûm morbos exasperat, iras
  Condonant vati numina magna pio.
Sic divos cithara placabat Thracius Orpheus,
  Sic hominum cultus molliit ille feros.
Fortunate puer! tanto dignatus honore
  Despicito quidquid mobile vulgus amat.
Est patruus tibi praestanti virtute Gibertus,
  Quem tellus magnae suspicit Hesperiae.
Hoc duce religio multos neglecta per annos
  Jam rediit: pulsa est vana superstitio.
Ipsius pare sanctis hortatibus; ipsum,
  Care puer, magni numinis instar habe.
Hoc duce Sirenum cantus et pocula Circes
  Et Veneris saevas effuge blanditias.
Qui sequitur Venerem, fugit illum candida Musa.
  Ah miser ille puer quem dea docta fugit!
Blanda Venus pueros nigrum deducit ad Orcum
  Insidians; caelo candida Musa beat.
Incautas juvenum mentes in monstra ferarum
  Vertebat Solis filia blanditiis.
Blanditiis captus, qui dextra vicerat Hydram,
  Hac eadem nevit Lydia pensa manu.
Alcide infelix, ubi sunt Erymanthia monstra
  Victaque tergemini corpora Geryonis?
Et tremefacta tua pallentia Tartara clava,
  Fultaque cum magnis sidera numinibus?
Alcide infelix, tantis de laudibus istis,
  O pudor! exuvias una puella capit.
Nos vero capiant Musarum gaudia sancta,
  Gaudia dis etiam cognita caelitibus:
Quos tenerae mulcent jucunda voce sorores
  Et citharae cantus suavis Apollineae,

Cum pater auratis celebrat convivia tectis,
  Et dapibus mensas pulchra Juventa onerat.
At puer Idaeus niveo succinctus amictu
  Miscet supremo dulcia vina Jovi.
Hunc puerum virtus tanto praefecit honori:
  Huic puero pietas munera tanta dedit.
Ille colens centum salientem fontibus Idam,
  Sive vagas arcu sollicitaret aves,
Sive sub umbrosa captaret frigora quercu,
  Qua fugiens liquido murmurat unda pede;
Pieridas, Phoebumque patrem, divosque canebat
  Qui virides silvas, qui supera alta tenent.
Dum canit, inclusum fulvis Jovis armiger alis
  In sedes illum transtulit aetherias,
Felices superûm sedes, quas candida vestit
  Purpureo semper lumine Laetitia.
Tu quoque Musarum veneratus numina, dignum
  Caelesti puero te, bone, finge, puer.

X.

De dono Benedicti Accolti Card.

Hanc pateram Chio spumantem auroque nitentem
  Accoltus vati donat habere suo.
Ipse meri partem libo tibi, candide Liber:
  Et partem libo, pulcher Apollo, tibi.
Vos pateram contra Musarum nectare dulci
  Implete, et large proluite ora mihi,
Accolto dignas ut solvam carmine grates,
  Carmine, quod possit nulla abolere dies.

XI.

De fama Idmonis periclitante.

Intemerata Fides, sancti germana Pudoris,
  Tuque Honor, et nudae simplicitatis Amor,

Si teneris Idmon coluit vos semper ab annis,
Et mens a turpi crimine pura nitet;
Vos juvenis famam praesenti arcete periclo,
Et facite illa magis splendeat atque magis.

XII.

De Leucippe.

Candida Leucippe, gratissimus ardor amantum,
Mille sibi matres quam cupiere nurum,
Se, dea Clara, tuis secretis sedibus abdit,
Seque tibi famulam tempus in omne dicat;
Pro crinali auro, tenui circumdata velo,
Flaventesque sacra forcipe tonsa comas;
Ut quae non casto mortales ussit amore,
Nunc casto sanctos urat amore deos.

XIII.

De Fonte Rodulphi Pii Cardinalis.

Deliciae ruris fons formosissime, tuque
Spelunca irriguis frigida pumicibus,
Qui vos egregia magnus Pius arte creavit,
Hanc vobis eadem condidit arte domum.
Vos lenite aestum curarum, fessus ab urbe
In vestrum quoties fugerit ille sinum.

XIV.

De Hieronymo Savonarola.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, pascitur artus,
Relligio sanctas dilaniata comas
Flevit, et O, dixit, crudeles parcite flammae,
Parcite; sunt isto viscera nostra rogo.

XV.

Ad Stephanum Saulium.

Ne tibi sim carus, Sauli carissime, ni te
Plus amo, quam natum mater amare solet.
Et merito; quis enim te dignior alter amari?
Aut quid amore tuo dulcius esse potest?
Quaerat opes alius, magnos sibi quaerat honores:
Tecum dulce mihi vivere, dulce mori.

XVI.

Via Viterbiensis.

Quae fueram pediti via vix superabilis ante,
Per me securum jam rota currit iter.
Scilicet hoc tibi praecipuum nunc, maxime Paulle,
Debetur munus pro pietate tua;
Qui cupidus regum magnos componere motus,
Hanc senior toties isque, redisque viam.

XVII.

De Imagine Reginaldi Poli.

Si velut egregia pictura, maxime Pole,
Est expressa tui corporis effigies,
Sic divina tuae potuisset mentis imago
Pingi, nil oculi pulchrius aspicerent.

XVIII.

Fons Nicolai Rodulphi Cardinalis.

Quod solitus silvis liquido pede currere in altis
Nunc celebro augustae regia tecta domus,
Gratia magna tibi, Rodulphi magne; meam tu
Per duri montis viscera ducis aquam:

Ut qui vix fueram pecori bene cognitus ante ,
Nunc regum lymphis ora manusque lavem .

XIX .

De Francisco Molsa .

Postera dum numeros dulces mirabitur aetas
Sive , Tibulle , tuos , sive Petrarcha , tuos ;
Tu quoque , Molsa , pari semper celebrabere fama ,
Vel potius titulo duplice major eris :
Quidquid enim laudis dedit inclyta Musa duobus
Vatibus , hoc uni donat habere tibi .

Quae sequuntur , a Mancurtio Flaminii Libellis sunt apposita .

Ex Libris Elogiorum Paulli Jovii collecta .

XX.

De Actio Syncero .

Quantum Virgilio debebit silva Maroni ,
Et pastor , donec Musa Maronis erit ;
Tantum paene tibi debent piscator , et acta ,
Acti , divino proxime Virgilio .

XXI.

De Augustino Nipho .

Qui docuit rerum Niphus cognoscere caussas ,
Non rerum oblitus hoc jacet in tumulo ;
Sed caelo meliore sui eum parte receptus ,
Nunc gaudet melius discere quam docuit .

XXII .

De Urania Joviani Pontani .

Quae cecinit claro fulgentia lumina caelo
Pontani doctis versibus Urania ,

Phoebe, tuis magnam lucem addidit ignibus; utque
 Nunc melius niteant sidera cuncta, facit.

XXIII.

De Benedicto Lampridio.

Perdideras Varium; nostro sed tempore laudes
 Lampridius renovat, docta Cremona, tuas.
Ille Sophocleo cantabat digna cothurno:
 Iste canit Lyricos Pindarico ore modos.

XXIV.

De Gaspare Contareno.

Contarene, tuo docuisti, magne, libello
 Exstinctis animas vivere corporibus:
Ergo jure tui vivunt monimenta libelli,
 Et vivent saeclis innumerabilibus.

XXV.

De Andrea Naugerio.

Naugeri, ne quis tibi certet, neve laboret
 Incassum laudes aequiparare tuas;
Sive epigramma facis juncto pede, sive soluto
 Defles magnanimûm funera acerba virûm.

XXVI.

De Balthassare Castiliono.

Si truculenta ferox irrumpis in agmina, Marte
 Diceris invicto, Castalione, satus:
At molli cithara si condis amabile carmen,
 Castalia natus diceris esse dea.

XXVII.

De eodem.

Horrida terribilis cum tractas arma, Maronis,
Castalione, tui carmine digna facis.
Idem cum molli vacuus requiescis in umbra
Castaliae, aeterno digna Marone canis.

XXVIII.

De Joanne Cotta.

Si fas cuique sui sensus expromere cordis,
Hoc equidem dicam pace, Catulle, tua:
Est tua Musa quidem dulcissima, Musa videtur
Ipsa tamen Cottae dulcior esse mihi.

XXIX.

* *Ad Achillem Philerotem Bocchium.*

Ex Carminum Illustrium Poetarum Italorum
Florentiae excusorum Tomo IV. pag. 417.

Achille, pater elegantiarum,
Si Marcum tibi vis suos ocellos,
Seu quid carius est suis ocellis,
Debere, ut decet optimum sodalem,
Noli subripere, obsecro, quod illi
Multo carius est suis ocellis.
Sed quid carius est suis ocellis?

Ex libello Carminum M. Antonii Flaminii
Fani edito 1515. *delecta sunt quae sequuntur.*

* Vide Bocchii responsionem ad hoc Flaminii Epigramma in calce hujus Editionis.

XXX.

De Othryade ex Graeco.

Ecquem Othryade unquam, maxime
Praestantiorem, Juppiter,
Vidisti? iniquo ex Thyreae agro
Solus reverti noluit
In patriam, sed fortiter
Adegit intra pectora
Ferrum, tropheo ex proprio
Tibi dicato sanguine.

XXXI.

Epitaphium Marulli Poetae.

Non occidi, viator, ut multi putant:
Nam mortem obisse, fuit Marullo vivere.

XXXII.

De Medea partum detestante.

Operta mavult clypeo Amazonum more
Ter proelium committere
Medea, quam pariens semel suam castae
Zonam Dianae solvere.
Mirum cupit si esse absque liberis, mater
Quos deinde facta sustulit.

XXXIII.

Ad Guidum Posthumum.

Jam ver floricomum, Posthume, verticem
Profert puniceo Chloridis ex sinu,
Jam pellunt Zephyri frigus, et horrida
Tellus exuitur nives.
Cantantes Hadriae marmora navitae
Audent velivolis currere puppibus:

Nec tendens avidis retia piscibus
Hibernas metuit minas
Sardus: jam virides gramina vestiunt
Campos, et tumidis palmes agit graves
Gemmas corticibus: jam volucres suis
Mulcent aëra cantibus.
At nos dum gravibus finis eat malis,
Noctes atque dies flemus, et intimis
Urgemus (dominae sic Veneri placet)
Divûm numina questibus.
Nil dives posito mensa juvat mero,
Nil defessa quies lumina, nil lyrae
Cantus, nil vario tibia carmine
Moerorem eluere efficax.
Sed curae, heu! miseri sunt animi dapes,
Sed cordis lacrimae pocula, sed quies
Confectum rigidae corpus humi jacens,
Sed carmen mihi flebiles
Questus, et dominae nomina: sic mihi
Nunquam veris eunt tempora: sic mihi
Soles non aliquo tempore candidi:
Sic mî perpetua est hiems.

XXXIV.

* *Ecloga Thyrsis.*

In qua M. Ant. Flaminius sub persona Thyrsidis gratias agit Balthassari Castilioni de se benemerenti; sub persona vero Menalcae Titum Caesanum Serravallensem litteratissimum juvenem colloquentem inducit.

Menalcas. Thyrsis.

Forte super tenero projectus gramine Thyrsis
Pascentes vario mulcebat carmine tauros,

* Hanc Eclogam vide etiam pag. 367. Operum Balthass. Castilioni Cominianae editionis 1733.

Et virides pulchram resonabant Phyllida silvae;
Cum tenues prima indutus lanugine malas
Affuit, et tristi sic coepit voce Menalcas.
Men. Ipse quidem molli dum captas frigus in umbra,
Et tenerum fragili deducis arundine carmen,
Nos heu perpetuis objecti fluctibus olim
Jactamur, vacuasque errando ducimus horas;
Ex quo praeruptis veniens ex alpibus imber
Assidua laetas foedavit grandine terras,
Quas inter placido percurrit Mesulus amne
Caeruleos densa praetextus arundine crines.
Thyr. Nos quoque diluvio ex illo rerum omnium egeni
Fugimus: at dives parvo post tempore Moeris
Hospitio excepit grato, armentique magistrum
Esse dedit, pastasque etiam numerare capellas.
Et nos Phyllis amat misere formosa puella,
Quae Satyros calamis, Phoebumque lacessere voce
Audeat: hanc multos nequicquam arsisse per annos
Alconem fama est, cui quina armenta per herbas,
Et bis quinque greges altis in montibus errant.
Men. Desine plura, puer. Fuit et sua cura Menalcae:
Nunc Veneris flammas, teneros nunc odit amores.
Thyr. Nos equidem terras alio sub sole jacentes
Ibimus, et Libyae steriles mutabimus agros:
Ipsa tamen dominae profugum sectetur imago,
Formosamque omnes resonabunt Phyllida silvae.
Men. At memini cum forte gravis contagia morbi
Invasere tuas bruma veniente capellas,
Formosam nullae resonabant Phyllida silvae.
Te felix pleno circumstat Copia cornu:
Ah dolor! ipse famem dura vix glande repello.
Thyr. Ergo ubi funereum in cinerem pallentia membra
Solverit atra dies, Stygiamque innabimus undam,
Si quis amicitiae sensus tellure sub ima est,
Inter felices animas et ditia regna,
Tunc etiam nostrum cantabit fistula Moerim.
Ille sui pecoris curam mihi credidit, illi

(Quod mirere) etiam multum mea carmina curae.
Nam cum Cassategi pratis Corydonis ad ulmum
Lyctius alternis mecum certavit Amyntas,
Judicio illius victus mihi cessit Amyntas,
Depositumque etiam mea fistula rettulit agnum.
Men. Fortunate puer nimium, tua si bona noris!
Hic inter gelidos fontes et pascua laeta,
Et densas corylos, sacraeque examina quercus
Felicem vacuo traduces pectore vitam:
At nos per varios casus miseranda sequemur
Exsilia, et toto fessi jactabimur orbe?
Nec dabitis finem, crudelia fata, laborum?
Thyr. Non semper gelidis effundit nubibus imbres
Juppiter, aut vasti feriunt cava littora fluctus
Semper, et iratis strident Aquilonibus aurae.
Tu quoque vesano finem sperare dolori
Aude, hospes. Forsan miserum meliora sequentur.
Men. Alta prius certos requiescent flumina cursus,
Grataque pascentes fugient virgulta capellae,
Quam fortuna modum nostris imponere damnis
Annuat, incoeptumque velit mutare tenorem.
Hoc nobis quondam memini praedicere Mopsum,
Cum mea bis septem nondum aetas viderat annos.
O pecus, o dulces quondam mea cura capellae,
Et semper teneris vernantia floribus arva,
Vos ego non aliquo infelix post tempore visam?
Inque peregrina moriens tellure recondar?
O potius subito pigrae telluris hiatu
Devorer; aut magno pro munere solus in altis
Exponar silvis Numidarum praeda leonum.
Thyr. Huc ades, o miserande puer; jam vesper Olympo
Surgit, et alma dies primae decedere nocti
Incipit, errantes herbosa ad flumina tauros
Ducam ego, mox saturos cogemus ovilibus agnos.
Hic poteris nostrum post coenam visere Moerim,
Illius et verbis aliquam sperare salutem.

XXXV.

De Discordia Ordinis parente, ac mundi procreatrice, Carmen Empedoclis Poetae ac Philosophi a M. Ant. Flaminio ex Graeco in Latinum conversum. Exstat in Paraphrasi ejusdem Flaminii in XII. lib. Aristotelis de Prima Philosophia pag. 9. edit. Paris. 1547.

Nonne vides hanc molem atque haec variantia membra?
Nunc illa inter sese arcto coeuntia nexu
Exercent placidam felici foedere pacem;
Sensiferi unde vigent mortali in corpore motus:
Irarum ingenti nunc tempestate coorta
Incipiunt rimis agitata fatiscere, donec
Dissiliant duro vitai in litore fata.
Talibus inter se vicibus volvuntur in orbem
Et pecudes, et montivagum genus omne ferarum,
Et volucres pictis tranantes aera pennis,
Quaeque latent liquido Nerei sub gurgite monstra,
Velivolaeque rates et amantes aspera dumi.

XXXVI.

De Virgilio.

Ex Aldina Collectione Poematum Sannazarii et aliorum anni 1533. *in* 8.

Dicite, qui ripas Minci coluistis olores,
Vobiscum exorta est gloria Virgilii?
Dic mihi, Parthenope, sic sis pulcherrima semper,
Virgilius ne tuo decidit in gremio?
Et meruit, cui contigerat nasci inter olores,
Inter Sirenum decubuisse choros.

LECTORI CANDIDO.

In Gagnaejana Collectione, de qua vide superius in Prolegomenis, sequentia Epigrammata Flaminio tribuuntur, quae propterea hoc loco exhibenda censuimus. Tuum erit, perite Lector, dijudicare, utrum ea tanti scriptoris nomen jure praeferant; etenim hoc in genere minus cautis fucum fieri, non semel animadvertimus.

XXXVII.

De Fonte quodam optimo.

Si te per aestum fervida premit sitis,
Hoc fonte dulci nil salubrius bibes:
At si lavare frigida corpus juvat,
Hoc fonte puro nulla lympha gratior

XXXVIII.

De via ad Viterbium instaurata.

Viator, hanc equis viam paene inviam,
Jubente Paullo Tertio, Respublica
Viterbiensis reddidit facillimam.

XXXIX.

De eadem.

Quod pacis ergo magna itinera suscipis
Terra marique, Paulle maxime, hanc viam
Viterbiensis civitas, factam suo
Sumtu, merenti grata dedicat tibi.

XL.

De Molsa, quem Mortuum putabat.

Quod te defunctum flerim, falsoque sepultum
  Crediderim, haec nostri signa doloris erant.
Ast modo, quod vivas, mihi gaudeo, gratulor orbi:
  Sic Pylios vivas, Euboicosque dies.
Tu, puer, i, et templo pictam suspende tabellam:
  Pensa hanc pro Molsa sospite et incolumi.

XLI.

De eodem.

Rumor erat periisse frequens te, quisque et ademtum
  Credidit: hinc questus, hinc lacrimae, hinc gemitus.
Et quis non fleret Molsam, quo sospite tantum
  Etrusca et Graja et lingua Latina valet?
Gratia magna Jovi, quod vivas; maxima Phoebo,
  Quem timui, ah, vatem deseruisse suum.
Perlege, nec pudeat de te quodcumque notabam
  Credulus: hoc nostri pignus amoris habe.

Ex Collectione Leodegarii a Quercu, de qua vide supra in Prolegomenis.

XLII.

Non vivam sine te, mi Brute, exterrita dixit
  Porcia; et ardentes sorbuit ore faces.
Davale, te exstincto, dixit Victoria, vivam,
  Perpetuo maestos sic dolitura dies.
Utraque Romana est, sed in hoc Victoria major;
  Nulla dolere potest mortua, viva dolet.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER TERTIUS

Lusus Pastorales continens.

I.

Pan pater, et Silvane senex, Faunique bicornes,
  Tuque pharetratae candida turba deae,
Si mea vos dulci delectat fistula cantu,
  Si semper vobis annua dona fero,
Parcite purpureos, quaeso, violare racemos,
  Neu tangant avidae lutea pruna manus.
Hunc agrum dat habere mihi Farnesius heros:
  Gratus ego haec illi munera prima dico.

II.

Cum facies iter hac, Farnesi candide, Iolam
  Ne pudeat, quaeso, semper adire tuum.
Te vocat arguto viridissima silva susurro,
  Te liquidi fontis garrula lympha vocat.
Villula pulchra, tui memorabile munus amoris,
  Jamdudum gestit ora videre tua.
Magne puer, ne parva, precor, fuge limina: saepe
  Pastorum subiit Juppiter ipse casas.

III.

Fugit hiems, nitidis vestitur frondibus arbor,
  Jamque novos ducit candida Flora choros.
Et cedit Boreas Zephyri genitalibus auris,
  Et victum pecori sufficit almus ager.

Nunc, Amarylli, gregem secreta pascere silva,
  Nunc dabitur Veneris dulcia furta sequi.
Tu venerare deam, sertisque recentibus orna,
  Illius et sanctos imbuat agna focos,
Jucundam ut nobis inter nos ducere vitam
  Annuat, et tuto semper amore frui.

Ita vertit Claudius Ptolemaeus in Collectione Dionysii Athanasii.

Ecco il verno si fugge, e già si veste
  Ogni arboscel di vaghe e verdi fronde:
  Non più la dolce Flora il volto asconde,
  Ma lieta scherza in quelle piagge e in queste.
Spariscon le procelle e le tempeste,
  Ride la terra, e seco ridon l' onde:
  Zefiro con le grate aure feconde
  Già le campagne a germogliar fa preste.
Or fia tempo menar il bianco gregge
  Nel più secreto bosco, o cara Iella:
  Ove soli potrem parlar d' amore.
Tu prega intanto umìl Venere bella,
  Che faccia in noi sotto sua santa legge
  Di due corpi e due cori un corpo e un core.

IV.

Jam fugat humentes formosus Lucifer umbras,
  Et dulci Auroram voce salutat avis;
Surge, Amarylli, greges niveos in pascua pelle,
  Frigida dum cano gramina rore madent.
Ipse meas hodie nemorosa in valle capellas
  Pasco, namque hodie maximus aestus erit.
Scis ne Menandrei fontem et vineta Galesi?
  Et quae formosus rura Lycambus habet?
Hos inter colles recubat viridissima silva,
  Quam pulcher liquido Mesulus amne secat:
Nec gelidi fontes absunt, nec pabula laeta,
  Et varios flores aura benigna parit.
Illic te maneo solus, carissima Nympha:
  Si tibi sum carus, tu quoque sola veni.

V.

Dum sonat argutis late vicinia gryllis,
Tu, Pholoë, dulci pressa sopore jaces.
Ipse vagor media solus de nocte, tuosque
Ad caros postes florida serta fero;
Quaeque teris nuda calcando limina planta
Osculor, et lacrimis tristibus illa rigo.
Tu, precor, aut nostri miserere, aut si tibi tantum
Displiceo, hic animam ponere dura jube.

VI.

Et tonat, et vento ingenti nemus omne remugit,
Et cadit effusa plurimus imber aqua:
Noxque soporiferis alis circumdata caecam
Horrenti latebra nubis opacat humum.
Ipse tamen Veneris crudeli compede vinctus
Ad dominae cogor pervigilare fores.
Saevit hiems, Auster densissimus aëre saevit,
Sed gravius nostro pectore saevit Amor.

Idem Claud. Ptolem. vertit ibid.

Tuona, e soffiano intorno orridi venti,
Onde s' odon mugghiar le valli e i boschi:
Cade dal ciel, perchè più l' aria infoschi,
Pioggia piena di strepiti e spaventi:
La negra notte ha tutti i lumi spenti,
Volando co' suoi vanni oscuri e foschi
Fatti ha gli uomini ciechi, non pur loschi,
Colmi sol di paura e di lamenti.
Ed io, che crudel laccio d' Amor preme,
Alla porta d' Iella son costretto
Pien di pianti e sospir vegghiar di fore.
Incrudelisce il verno e l' Austro insieme;
Ma nel mio affannoso ardente petto
Più crudelmente incrudelisce Amore.

VII.

Sic tibi perpetuam donet Venus alma juventam,
Nec faciem nitidam rnga senilis aret,
Post coenam cum matre tua, dulcique Lycinna
Ad matrem, Pholoë cara, venito meam.
Hic simul ad magnum laeti vigilabimus ignem:
Candidior pulchra nox erit ista die.
Fabellas vetulae referent: nos laeta canemus
Carmina: castaneas parva Lycinna coquet.
Sic noctem tenerisque jocis risuque trahemus,
Dum gravet incumbens lumina nostra sopor.

VIII.

Jam rapidus torret mediis Sol aestibus agros;
Ad vallem niveum duc, Ligurina, gregem.
Hic avium cantus, hic fons nitidissimus antro
Prosilit, hic densis quercubus umbra cadit:
Et circum flores examina laeta susurrant,
Et Zephyri blando murmurat aura sono.
Hic laudes, formosa, tuas mea fistula dicet:
Tu Dryadum calamo dulcia furta canes.

IX.

Nascitur, et nostro Vesper crudelis amori
Jam caulis saturas ducere mandat oves.
Deliciae Ligurina meae, te linquere cogor,
Sed tecum remanet mens, animusque meus.
Quod superest, ubi jam tenebris Aurora fugatis
In silvam croceo mane reducet oves,
Hic illas, mea vita, iterum cogamns in unum,
Hic iterum dulcis me tibi jungat amor.

X.

Esto magna Ceres et Pau mihi testis; amantum
Et quae firma facit foedera, sancta Venus;

Nulla dies, Ligurina, tuo me solvet amore,
Non si me Dryadum sanguinis una petat.
Ut rupem hanc validis impellunt flatibus Euri,
Sed nullo rupes verbere pulsa labat,
Sic semper mea magna fides immota manebit,
Et mea mens uni serviet usque tibi.
Dii faciant, in amore pares vivamus, et uno
Ambos una tegat funeris hora loco.

XI.

Quo te venturam dixti, cum mater ad urbem
Iverit, huc furtim, lux mea, primus eo.
Dumque venis, longo brevis hora videbitur anno
Longior: ulla igitur si tibi cura mei,
Tolle moras omnes, timor omnis et absit; amanti
Et comes atque viae dux erit ipsa Venus.

XII.

Hos tibi purpureos in serta nitentia flores,
Dum Sol exoritur, Thestyli cara, lego,
Dumque lego, crebra ingeminans suspiria dico,
O utinam fieri vos, mea dona, queam!

XIII.

Thestyli cara, favis Hyblaeis dulcior, ecquid
Munera pulchra vides, quae tibi ab urbe fero?
Aspice flaventem pallam, roseosque cothurnos,
Et mitram, et bullis cingula clara suis.
Haec ego dum porto, vidit pulcherrima Phyllis,
Atque ait, haec dederis si mihi dona, puer,
Et Venerem et Cereris sanctissima numina testor,
Te praeter nullus Phyllida habebit amans.
Ast ego per Phoebum et Musas, mea Thestyli, juro,
(Si fallo, semper sis inimica mihi)
Nulla puella meos te praeter habebit amores:
Dum vivam, semper tu meus ardor eris.

XIV.

Thestyli, si qua tui superat tibi cura Myconis,
Crastina cum caelo fulserit orta dies,
Ad Cereris vallem niveas compelle capellas,
Nec longam pigeat te, precor, ire viam.
Inde graves aestus ubi Sol accenderit, antro
Succede, arbuteis quod tegit umbra comis:
Hoc ego furtivo ingrediar pede munera portans,
Quae jampridem orat Phyllis habere sibi,
Munera vel Nymphis dignissima: si sapis ergo,
Ad dulces latebras incomitata veni.

XV.

Huc ades, o mea Lygda, parum decede calori,
Dum medio caeli Sol gravis orbe furit.
Nonne vides, ut tota fluas sudoribus? utque
Jam lassae nequeant stringere farra manus?
Hic patulae ramis sociant umbracula fagi,
Quas circum irriguis Mesulus errat aquis.
Nec salsae desunt oleae, nec olentia caepe,
Nec liba, aut veteri cymbia plena mero.
Huc ades: ardenti maneat sub Sole Nigella.
Te molles umbrae, candida Nympha, decent.

XVI.

Rivule, frigidulis Nympharum e fontibus orte,
Qui properas liquido per nemora alta pede,
Si, formose, venis formosum ad Phyllidis hortum,
Arentique levas aurea mala siti,
Illa tibi centum dabit oscula, queis tua fiet
Dulcior Hyblaeis unda beata favis.

XVII.

Cum ver purpureum tepidi fert aura Favonî,
Ornatur variis floribus almus ager,

Formosae rident silvae, sunt omnia laeta,
Et cantu volucrum dulcia rura sonant.
At mihi tristis hiems formosior, et mihi Vere
Laetior adveniet, si, mea Lygda, redis.

XVIII.

Cum Boreas laeto silvam spoliavit honore,
Squalet ager, mixto nix jacet alta gelu:
Non liquidi currunt amnes, stat nubibus aër
Obscurus, volucrum garrula turba silet.
Tale facis ver, cara, tuo, Ligurina, recessu.
Te sine formosum, te sine dulce nihil.

XIX.

Ut quondam nivei correpta cupidine tauri
Mugitu * resonat bucula maesta nemus,
Illius caros si forte abducit amores
Pastor: non miseram gramina laeta juvant,
Non liquidi fontes; talis mea vita, paterno
Postquam rure procul me sine, Lygda, fugis.

XX.

Ut formosa suo felix est bucula tauro,
Nec latos querulis vocibus implet agros,
Si dulci reditu caram solatur amantem
Carus amans; talis candida vita mea,
Meque prius miserum fecit Venus alma beatum,
Ex quo restituit te, Ligurina, mihi.

* Virgil. Æneid. lib. VII. vers. 11.
„ Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
„ Assiduo - resonat - cantu.
Ad quem locum Servius et alii Scholiastae notant, - resonat - dictum esse a Virgilio, pro - resonare facit.

XXI.

Aspicis ut laeti surguut per gramiua flores ?
Explicat ut virides arbor ubique comas ?
Ut melius fulgent soles, ut nubila caelo
Diffugiunt, terris diffugiuntque nives ?
Haec facies, haec est Lygdae ridentis imago;
Tristitiam vultu sic fugat illa suo.

XXII.

Vidisti nitidas per candida lilia guttas
Ludere, cum tenui decidit imber aqua ?
Et rorem de puniceis stillare rosetis,
Cum spirat nascens frigora blanda dies ?
Haec facies, haec est Ligurinae flentis imago;
Illius lacrimis me ferus urit Amor.

XXIII.

Haec, Cytherea, suo dulci cnm compare turtur
Caeditur ante tuos victima grata focos.
Unns amor caros felici copnla amantes
Junxerat: unanimes abstulit una dies.
Talis amor pulchram tenero cum Daphnide Nisam
Vinciat aeterno foedere, sancta, precor;
Et dum longa dies senio consumserit ambos,
Alter in alterius corpore vivat amans.

XXIV.

Luna decus caeli, astrorum regina bicornis,
Quae medio raptim laberis alta polo,
Ad dominam propero, qua nec formosior unquam
Pavit, nec pascet ulla puella gregem.
Tu, mea ne quisquam valeat deprendere furta,
Conde precor lucem, candida diva, tuam.
Sic tibi sit proprio splendescere lumine: sic par
Et magni radiis aemula Solis eas.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER QUARTUS

Reliquos Lusus Pastorales continens.

I.

O quae venusta Sirmionis litora
  Colis, Catulli candida
Musa, et beatam citrii silvam doces
  Pulchram sonare Lesbiam,
En nos Taburni in valle florida tibi
  Aram virenti e caespite,
Et terna melle, terna lacte ponimus
  Spumante plena cymbia,
Et te vocamus voce supplici, dea,
  Ad sacra parva, sed pia,
Ut nostram Hyellam fistula dulci canas;
  Qua nulla rure pulchrior
Vixit, nec ulla vivet ullo tempore
  Cani puella dignior.
At tu vireta amoena et undas limpidi
  Relinque Benaci libens.
Et hic Favonî lenis aura murmurat:
  Et hic avium dulci sono
Mulcetur aër; prata floribus nitent;
  Purique fontes vitreis
Lymphis decentes frigerant nemorum deas,
  Cum fessa damarum nece,

Et icta luce fervida Solis, redit
  Pudica Dianae cohors.
Quare, o puella candida, huc aditum feras,
  Nobisque versus dicito,
Per quos Hyella vivat, usque dum tua
  Formosa vivet Lesbia.

II.

Caper, Capella caelitum beatior,
  Quem tam venusta, tam puella candida,
  Stipante maximo capellarum grege,
  Agit per alta montium cacumina,
  Cum Sol recludit splendido caelum die,
  Albentque laeta rore cano gramina.
  At cum furentis excitatus ictibus
  Solis siticulosus ignescit calor,
  Nec aura pulchris arborum instrepit comis,
  Te ducit illa fontis ad lympham sacri,
  Qui prosilit virente murmurans specu;
  Domus choreis Naïdum gratissima,
  Et semicápri dulce lenimen dei,
  Cum fessus a labore montivago redit.
  Hinc te reductis vallium cubilibus
  Sistens, tenello lassulum sinu fovet,
  Cingitque carum floreis sertis caput,
  Suadetque, blandos sensim inire somnulos;
  Nunc mollicella barbulam mulcens manu,
  Nunc dulciora melle fundens carmina,
  Canente garrulo simul avium choro.
  Exin cadente Sole cum Nox extulit
  Micantibus stellis coronatum caput,
  Et prata gryllis personant argutulis,
  Te bella Hyella cum tuis uxoribus
  Domum reducit mollia ad praesepia,
  Vobisque salsas frondium dapes parat.
  Cui vita capro contigit jucundior?

Quem capripes Pan, aut potens pecorum Pales
Benigniore vidit unquam lumine,
Caper, Capella caelitum beatior?

III.

Caper, capellis ire dux ad pascua
Suetus, quid aegros ultimus trahis pedes?
Tu primus alta montium cacumina,
Cum Sol quadrigis aureis portat diem,
Primus reposta vallium cubilia,
Quo fons loquace limpidus lympha vocat,
Primus petebas nocte cum prima domum
Magnis capellas antecedens passibus:
Nunc maestus, aeger, ultimus prodis domo.
Caper miselle, num requiris candidam
Hyellam? et illa absente nec thyma dulcia,
Nec umbra dulcis, nec tibi est dulcis liquor?
Caper miselle; Hyella bella est mortua:
Luge, miselle; bella Hyella est mortua;
Aliumque valle pascit Elysia gregem,
Videtque puro lacte fontes currere,
Auraque longe dulciore vescitur:
Neque amplius redire, si velit, huc queat,
Neque si queat, redire jam amplius velit.
At tu morere, dominamque vise trans Styga:
Aut vive posthac omnium miserrimus,
Caper miselle, omnium miserrime.

IV.

Adeste o Satyri, bonique Fauni, et
Quidquid capripedum est ubique divûm;
Mecum, numina sancta, lacrimate.
Vestra mortua bella caprimulga est,
Illa candida bella caprimulga,
Quae vobis bona liba factitabat:
Quae dulcem mihi caseum premebat:

Quae tam carmina bella cantitabat.
Tecum delicias, Hyella, ruris,
Tecum gaudia ruris abstulisti.
Te formosulus hortus ille, quem tu
Laetum virginea manu rigabas;
Te fons prosiliens specu e virenti,
Quem illo floridulo ore basiabas,
Te lugent nemora atque vallis, in qua
Pascebas niveas tuas capellas;
Nunc pictas Dryadis legens corollas,
Nunc dulci resonans avena in antro.
At tu, si sapis, o puella Ditis,
Huic dato nitidas tuas capellas.
Hac pascente, domum tuae capellae
Ferent ubera tentiora, lacque
Longe dulcius effluet papillis.
Nullam rura tulere doctiorem,
Aut miscere coagula aut decoras
Molli texere fiscinas hibisco
Aut per florida prata cum puellis
Choros ducere, obstupente pago.

V.

Cur subito, fons turbidule, tuus humor abundat?
  Dic age, lucidulam quis tibi turbat aquam?
Ah miser! exstinctae turbat te casus Hyellae:
  Ipse tuis crescis, perdite, de lacrimis.
Infelix! non jam tanges rosea illa labella:
  Candida nec liquidis membra lavabis aquis:
Non fessam atque tuo crepitanti murmure captam,
  Aspicies somnos carpere languidulos;
Dum niveas inter ludit lasciva papillas,
  Et simul aureolam ventilat aura comam:
Ac leviter motans myrtos superimpendentes,
  Spargit odoratos flore cadente sinus.
Ut fulvum nitidumque aurum nitidissimus ipse
  Ornat sidereo lumine chrysolithus:

Ut laurum decorat croceis hedera alba corymbis,
  Nectens formosis brachia brachiolis;
Sic formosa tuas lymphas decorabat imago,
  Se vitreo quoties viderat illa lacu.
Tunc, o frigidule, blando urebaris amore:
  Vos liquidae melius tunc nituistis aquae.
O quoties, dulci cum vos libaverat ore,
  Facta est Hyblaeis dulcior unda favis!
O quoties vestros requievit carmine cursus,
  Cum modulans calamis luderet imparibus!
Nunc te, sancta Pales, nunc te, Latonia virgo,
  Nunc referens laudes, Pan Tegeaee, tuas.
Illa canit: tremula respondent voce capellae,
  Saltat et oblitis haedulus uberibus.
At circum volitans pictis avium chorus alis
  Discit, et arguto gutture cuncta iterat.
Mirantur Satyri, Nymphae mirantur et ipsae,
  Et Faunus ramis abditus arbuteis.
Ipse etiam vocemque et formosissima mirans
  Ora, suas in se vertit Amor faculas.
Ardet Amor, pulchrisque genis roseisque labellis
  Incubat, ut myrti floridae avis foliis,
Quae Solem dulci nascentem voce salutat,
  Et patulo rorem lucidulum ore bibit.
Sic Amor ore haurit dulcem dominae halitum hiulco,
  Carmina sic avida candidus aure bibit.
Talia populeis Minci cantabat in umbris,
  Dum pascit niveas pulchra Amaryllis oves.
Talia cantabas viridi, Galatea sub antro,
  Formosi recubans Acidis in gremio.
Cantabas: puer impatiens saepe intermixtis
  Mollia rumpebat carmina basiolis.
Ah miser, ah male caute puer! tua gaudia Cyclops
  In nebulas jam jam dissipat aërias.
Ille tuae demens correptus amore puellae,
  Ah miserum infando perdidit exitio!
Fleverunt nemora et fontes et Oreades altis

Montibus et magni candida turba maris :
Ipsa comas Galatea scidit, maestoque ululatu
Implevit scopulos, caerula Dori, tuos;
Optavitque mori subito potuisse, suisque
Amissis lucem linquere deliciis.
Non illam sociae longo post tempore Nymphae
Viderunt laetis ferre pedem choreis;
Non thalamo picta palla procedere, cinctam
Candida puniceis tempora coraliis.
Illa vel undisoni pelagi latet abdita fundo,
Vel repetit furtis litora nota suis.
Hic fletum misera ingeminat, fletu omnia complet,
Et verti in fluidas tota cupit lacrimas.
Hic miserum querulis compellat vocibus Acin :
Antra sonant Acin, caeruleae Acin aquae.
Tu quoque, fons miserande, tuae post dura puellae
Fata, tuis nunquam pone modum lacrimis.
Quis tibi nunc texet viridanti umbracula myrto ?
Quis sepem tremulis texet arundinibus ?
Quis sparget niveis onerata canistra hyacinthis,
Pictaque purpureis serta papaveribus ?
Luge igitur miser, et confracta turbidus urna
Semper cresce novis, fons bone, lacrimulis.
Cumque tumens ripa exieris vagus, haud pete florem
Ridentis calthae, puniceamve rosam,
Sed nigras violas, et caeruleos hyacinthos :
Ipsa bibat maestam maesta cupressus aquam.
Quod si pulchra puella lavatum huc venerit ulla,
Candida seu Naïs, candida sive Dryas,
Dic lacrimans, Ne me, quaeso, pulcherrima, tange,
Neve meis corpus commacula lacrimis.
Hae lymphae non sunt lymphae, sed flebilis humor,
Quem carae dominae mittimus inferias.

VI.

Sic tibi perpetuam donet Pomona juventam,
Hortule; dic, tanti quae tibi caussa mali ?

Ille tuus decor in tenues evanuit auras,
  Ut riget informi cum fera bruma gelu.
Non rosa formosum calathi jam pandit honorem,
  Non violae ridet purpura lucidulae.
Aruit ille suo viridi cum gramine rivus,
  Daedala nec dulci voce susurrat apis.
Quaeque decora albis canebat floribus, ipsa
  Ponit odoratas citria silva comas.
Ah nivei subito cur nigrescunt hyacinthi?
  Atque notis implent flebilibus folia?
Cur vivax apium moritur croceumque papaver?
  Et panace fusis roscida lacrimulis?
Hortule, num luges fatum infelicis Hyellae,
  Et piget exstinctam vivere post dominam?
Illa quidem fuerat vivens tibi caussa decoris:
  Illa tibi moriens abstulit omne decus.

VII.

Cum pater invitum Nisae sociasset Iolam,
  Venissetque viri jam nova nupta domum,
Non potuit tantos pulcherrima Hyella dolores
  Ferre, nec erepto vivere conjugio.
Sed veluti flos virgineo decerptus ab ungue,
  Cum vita dulcis tabuit ille decor.
Tabuit ille decor, quo nil formosius ulla
  Ætas, nil unquam vidit amabilius.
Occidis, infelix, primo sub flore juventae:
  Occidis, heu nullo tempore digna mori!
Sed tua fama superstes erit; quotiesque viator
  Praeteriens tumulum viderit et titulum,
Ille tuo lecto suspirans nomine dicet:
  Pulchrior in terris nulla puella fuit.

VIII.

Cum pulchra infelicem animam exhalaret Hyella,
  Talia cum multis dicta dedit lacrimis:

Duritia, formose puer, mihi durior ipsa,
  Idem luce mihi carior atque anima:
Tu licet ipse meam crudeli morte juventam
  Crudelis lympham miseris ad Stygiam,
Non tamen ulla mihi vis carum nomen Iolae
  Obliviscenti deleat ex animo.
Seu Cytherea meam campis lugentibus umbram
  Sistet, seu campis sistet in Elysiis,
Semper ero memor ipsa tui, quamvis laticem omnem
  Lethaeum aridulis faucibus ebiberem.
At tu, care puer, pro tanto gratus amore,
  Transibis quoties heu miseros cineres,
Dic lacrimans, Heu cara puella, malus tibi vitam
  Abstulit, et diro funere mersit amans.
Ah nunc saltem in morte quiescas: hoc tibi Iolae,
  Qui potuit miseram perdere, mandat amor.

IX.

Quisquis es, upiliove bonus, bona vel caprimulga,
  Siste gregem, et sacro munera fer cineri:
Da violas tumulo; fundat dulcissima vina
  Cantharus, et tepido lacte madescat humus.
Dehinc lacrimans sic fare: Cinis carissime nobis,
  Nunc cinis, ast olim candida Hyella, vale.

X.

Sic Pan bicornis et Pales vitam tuam,
  Tuumque sospitent gregem,
Parum resiste, pastor, et pictis sacrum
  Lapidem corona floribus.
Hic est Hyella, qua nec ulla pulchrior
  Pavit capellas femina,
Nec pastor ullus garrulam unquam fistulam
  Inflavit ore dulcius.
Nondum misella terna lustra clauserat,
  Cum vidit ultimum diem.

Ut flos apricus, terra quem mater suo
  Dulci educabat in sinu,
Tunc primum hiare coeperat, cum tabuit
  Calore tactus fervido;
Sic pulchram Hyellam flore sub primo impotens
  Amoris aestus perdidit.
At tu, viator, sic faveat amor tibi,
  Precare terram ut pulveri
Sacro puellae sit levis: dehinc floribus
  Hanc spargito; et felix abi.

XI.

Pastores, teneras procul hinc arcete capellas,
  Et sacram nigris spargite humum violis.
Neu veteris bacchi, neu dulcis copia lactis.
  Neu desit numeris tibia flebilibus.
Hic bona Hyella jacet, pecoris formosa magistra,
  Junctaque cum domina fida capella sua.
Illam saevus amor nimium infelicis Iolae
  Perdidit: hanc carae perdit amor dominae.
Nam simul exhalantem animam conspexit Hyellam,
  Ipsius ante pedes concidit exanima.
Fortunata capella! polo fulgere supremo
  Dignior, Icariae quam canis Erigones:
Si tua magna fides dominae comes ire sub umbras
  Audet, et ante diem reddere dulcem animam,
At florens tua fama viget, semperque vigebit
  Exemplum sanctae maximum amicitiae,
Dum silva gaudebit aper, dum monte capella,
  Dum patulis ulmi deoidet umbra comis.

XII.

Deliciae ruris cum pulchra periret Hyella,
  Cum domina periit fida capella sua.
Non ipsam violenta lues, non aspera febris,
  Sed dominae subita morte peremit amor.

I nunc, et Pyladas et amoris nomine Orestas,
Et jacta fidos, Graecia, Pirithoos.

XIII.

Cum misera ante diem fida comitata capella,
Iret ad infernas candida Hyella domos,
Ille malus saevis redimitus colla colubris
Cerberus, invisas qui cubat ante fores,
Non pavidam horribili tremefecit voce puellam,
Nec rabidis illam dentibus appetiit:
Sed tremulo blandae gannitu vocis adulans,
Et lingua lambens crura pedesque fera,
Ætherias voluisset eam remeare sub auras,
Et tam formosae virginis ire comes:
Quique tot heroum magnas latraverat umbras,
Optavit parvi nunc gregis esse canis.

XIV.

Cum nemorum decus et culti solatia ruris
Venit ad Elysias candida Hyella domos,
Obstupuere omnes, fixoque in virgine vultu,
Spectabat pro se quisque oculis avidis
Ardentes oculos, surasque, humerosque nitentes,
Brachiaque et flavas per rosea ora comas.
Atque aliquis juratus ait; Non pulchrior unquam
Venit ad Elysios ulla puella choros.

XV.

Hanc fistulam, hospes, quam vides pinu sacra
Pendere, Pani Hyella posuit maximo,
Cum jam misella Solis aureum jubar
Linquens, beatos ferret ad manes suum.
Hac illa pulchra fistula cum luderet
Nymphas canens et furta earum dulcia,
Non aura laetis insonabat frondibus,

Non murmurantes obstrepebant rivuli,
Non picta garrulo avis canebat gutture.
Quin ipse dulci carminum captus sono
Inter greges jacebat innocens lupus.
Himella florida et Taburne pinifer
Tu testis; ipse es saepe miratus tuas
Motare pinus horridas cacumina.
Tunc fistula haec beatior calamis fuit,
Quicumque labra docta pastorum terunt.
At nunc misella fistula aut semper tacet,
Aut si loquaci ventus illam sibilo
Inflavit, usque flebiles edit sonos,
Acerba dominae fata deplorans suae,
Et ore caro basiari expetens.
Quo nulla pulchrius, neque unquam dulcius
Puella gessit os, neque ulla unquam geret.

XVI.

Quod nulla nec formosior, nec fistulam
Inflare dulcem doctior, niveos greges
Unquam Taburni pavit inter horrida
Pineta, pastores tuis hunc manibus
Dicant, Hyella, lucum opacum et hos duos
Fontes amoenos, qui levi cum murmure
E rupe muscosa alter, alter e specu
Pendente decidunt. At in medio jacens
Tua ossa fictilis urna habet, opulentior
Quam dives Hermus, undaque aurifera Tagi.
Hanc nos quotannis, cum Favonî candida
Fert aura ver insigne floreis comis,
Dulci lyaeo et lacte et agni sanguine
Rigabimus: tum virgines circum integrae
Ducent choreas, et tuas laudes canent.
Hyella mons, Hyella vallis garrula
Sonabit, et cum Sol diem face aurea
Illustrat, et cum nox polum umbra condidit.
At magnus Alcon fistula, quam capripes

Illi dedit Pan, triste carmen ordiens
Narrabit, ut te crinibus passis deae
Oreades defleverint, cum pallidum
Videre vultum; ut arborum tonsis comis
Te silva maesta luxerit, te limpidi
Fontes, Hyella, te Taburni horridae
Flevere cautes; caerula se condidit
Sol nube, dira ne videret funera.
Quin saevus ille lacrimis mortalium
Gaudens Cupido flexilem arcum et igneas
Fregit sagittas. Quantum hiems gelu aspero
Concreta Veri floreo cedit, rubus
Quantum virenti acantho, agris tantum omnibus
Tibi puellae cesserant. Ut ramulis
In valle myrtus avia nitentibus
Crescit, quam amico rore fontis educant
Nymphae decentes; sic amabilis tua
Juventa surgens enitebat: nec rosa
Rubente mane lucidum calathi sui
Pandens honorem est pulchrior, nec pulchrior
Aurora, croceo cum gerit diem sinu
Coma refulgens aurea. Quis simplices
Mores et artes Cypria dignas dea
Æquare possit laudibus? seu fiscinam
Virente hibisco texeres, formosius
Jurabat esse nil Pales: seu duceres
Choros sub altis arborum comantium
Ramis, Napaeae candidae et Phoebi soror
Stabant stupentes: seu levi nemorum deos
Calamo canebas, silva dulci carmine
Gaudebat, ipse Maenalus quantum sui
Fauni sonora fistula. Salve o bona
Hyella, salve, et montibus nostris ades.
Tu Pana maximum et sorores Naïdas
Pastoribus, beata, concilia tuis:
Morbosque lacrimabiles precibus piis
Averte, lucum et vise saepius tuum.

XVII.

Dum te flebilibus numeris moriturus Iolas
Cantat, ades vati, candida Hyella, tuo.
Tale mea carmen moduler tibi arundine, quale
Deficiens dulci gutture cantat olor;
Ut tua pastorum volitet vaga fama per ora,
Dum laetas segetes pinguia rura dabunt,
Dum flores apis, et rivos dum gramen amabit,
Dum metuet celerem tarda capella lupum.
Digna quidem fueras quam maximus ille Menalcas
Diceret argutis semper arundinibus;
Et quam posthabita Neptunine Galatea
Cantaret Siculi clara Thalia senis.
Et facerent, si te natam felicibus annis
Vidissent oculis, candida Nympha, meis.
Te juga Parnassi resonarent, te juga Pindi:
Notior Arcadiae nulla puella foret.
Per nemora et silvas incisum cortice laevi
Mille tuum nomen viveret arboribus.
Tu quoque par esses Amphionio Aracyntho,
Et par Maenaliis, care Taburne, jugis.
Magne pater, tali fortunatissime alumna,
Tu viridi servas ossa beata sinu:
At misera ante diem crudeli funere rapta
Ivit ad infernas non reditura domos.
O mihi Threïciam citharam si Musa dedisset,
Quae potuit silvas ducere montivagas,
Per tenebras Orci, per pallida regna silentum
Quaesissem manes, cara puella, tuos:
Nec me tergemino terreret Cerberus ore,
Nec torvae anguineis crinibus Eumenides.
Vel mecum vitae repetisses lumina, vel me
Obrueret Stygio mors violenta lacu.
Sed citharae si nil prodessent fila canorae,
Movissem fletu numina dura pio.
Vidissent umbrae tenues regemque superbum

Tisiphonemque malis illacrimare meis.
Sit licet ille fero crudelior angue tyrannus,
Non vacuum blandi pectus amoris habet.
Ipsum etiam, qui cuncta domat, Cythereius ales
Vicit, et invito lenia corda dedit,
Tempore quo magnae Cereris pulcherrima nata
Ad nigras Erebi candida venit aquas.
Illa quidem caris Nymphis comitata legebat
Purpureos flores saltibus, Enna, tuis,
Jamque parans in lucidulo se fonte lavare,
Traxerat e niveo mollia vincla pede,
Cum pavidam, et matrem queribunda voce vocantem
Abstulit infernis luridus Orcus equis,
Nec veritus natam Jovis est violare supremi;
Tantum forma potest et violentus amor.
Cur igitur caram mihi non donaret Hyellam?
Cur lacrimis flecti nollet amantis amans?
O qui pallentes Erebi me ducat ad umbras,
Et genibus sistat me, pater Orce, tuis!
O quales tibi manarent mea lumina fletus!
Funderet o quantas lingua diserta preces!
Me certe facerent pietasque dolorque disertum:
Verba ministraret dulcia dulcis Amor.
Quid loquor infelix? nulla est revocabilis arte,
Cum semel exstincto lumine vita fugit.
Non revocat Syringa suam Pan magnus ad auras,
Non Phoebus revocat te, Cyparisse, tuus.
Ipse foret quamvis Cybele gratissimus Attis,
Liquerat infernas non tamen Attis aquas.
Ah quoties nato mater Berecynthia dixit,
Per lac quod dederunt ubera nostra tibi,
Perque uteri tolerata decem fastidia menses,
Redde oro puerum, Dis, mihi, care, meum.
Non ego, felices superûm translatus in oras
Tithoni vivat saecula longa, peto.
Aurorae liceat carum servare maritum,
Æqualemque deis reddere caelitibus.

At mihi cum paucos Attis serviverit annos,
  Ad tenebras redeat flebilis umbra tuas.
Nunc pia templa colens divis operetur, et omnes
  Per populos ritus et mea sacra ferat.
Dulcia purpureae nunc carpat dona juventae,
  Nunc decoret silvas candida forma meas.
An magnum est, animam si de tot millibus unam
  Des matri, vitam quae dedit ipsa tibi?
Sic lacrimans ait: ille suis immanior umbris
  Maternas dura respuit aure preces.
Vix licuit miserae manes descendere ad imos,
  Atque umbrae dulci basia vana dare.
Crudelis Pluto, nimium crudelia fata,
  Quae vitae nullas heu posuere moras!
Cum silvam glacialis hiems spoliavit honore,
  Vere novo silvae laeta juventa redit:
Occidit Oceani cum Sol demersus in undas,
  Nascitur abducto pulchrior ille die:
At nobis nec laeta suo cum vere juventa,
  Nec mersa immiti funere vita redit.
Ultima cum Parcae legerunt fila severae,
  Urget perpetuus lumina clausa sopor.
Quem tamen aeterno celebrarint carmine Musae,
  Ille vel invita morte superstes erit.
Sic vivis, vivesque aeternum, pulcher Alexi;
  Et tu cum Gallo nota Lycori tuo.
Pan, nemorum decus et Satyri Nymphaeque decentes,
  Quae blando agrestes uritis igne deos,
Si formosa pie coluit vos semper Hyella,
  Si mea vus semper dulcis avena canit,
Vos facite, ut longum vivant mea carmina in aevum,
  Et cum carminibus candida Hyella meis.

XVIII.

Has lacrimas, atque haec imo suspiria corde
  Tracta gemens libo, candida Hyella, tibi.

Haec tibi nunc, mox vitam ipsam libabo, animamque,
  Cumque tuis miscebo ossibus ossa mea.
Quosque maritali non junxit taeda Hymenaeus,
  Funerea junget Mors violenta face.
Quod si nupta meum conscendit Nisa cubile,
  Non tamen unquam animum ceperat illa meum:
Sed mea me pietas patri parcre coëgit
  Impia, me durus perdidit ipse pater.
Si fallo, haud ambo terra tumulemur in una,
  Nec tua sit felix manibus umbra meis.

XIX.

Cur, ah cur ullo placui tibi tempore, mortis
  Si, mea vita, tibi caussa futurus eram?
Cur me tam pulchrum cari genuere parentes?
  Cur calamos dono Pan dedit ipse suos?
Queis ego formosas possem mollire puellas
  Cantando, et duris lenia corda dare.
Quid formam queror, aut calamos nocuisse canoros?
  Perfidia periit cara puella mea.
Ah ne meis potui thalamis admittere Nisam?
  Vim ne preces duri tantam habuere patris?
Fugissem durumque patrem patriamque, priusque
  Fudissem multo sanguine dulcem animam.
Sed fundam, poenasque dabo tibi, candida Hyella:
  O cari manes, o, precor, este boni.
Vos puerum vestra linquentem lumina caussa
  Optatum laeti suscipite in gremium.
Et qui me nimio sponsum cupiistis amore,
  Jungite nunc dulcis gaudia conjugii.
Sancta, veni, nostrisque fave, Proserpina, taedis;
  Faustaque purpureus carmina cantet Hymen:
Quique olim valida conjunxit utrumque catena,
  Vivat in Elysia valle perennis amor.

XX.

Pan pater et veneranda Pales Faunique valete,
  Tuque mihi quondam care Taburne vale:

Vos mihi vos misero, silvae, placuistis, opacae,
Dum niveum in vobis pavit Hyella gregem,
Et mecum tenera furtim ludebat in herba
Ludere cum magno digna puella Jove.
Tunc mihi purpureo fulserunt lumine soles,
Tunc fuit heu nimium candida vita mea.
Nunc nemora et fontes et caeli lumen et umbrae,
Nunc ingrata meis omnia sunt oculis.
Mors mihi sola placet: mors o dulcissima rerum,
Huc ades, et vitam, mors bona, redde mihi.
Illa meam vitam rupes habet, illa sepulcro
Servat delicias terra beata meas.
Pastores, illa dominae me jungite in urna,
Taliaque inscriptis addite verba notis:
Formosam tuus ardor, Iola, absumsit Hyellam:
Te miserum leto perdidit illa suo.

XXI.

Ingrate Sol, ortum quid approperas tuum?
Quo lux mihi, si luce non datur frui?
Redis ne, grex ut redeat in silvam meus?
At hunc Hyellae mors acerba perdidit.
Redis, magis magisque tabescam ut miser?
Et te fatigem questibus semper novis,
Dominae revisens pulverem sacrum meae?
An tu quadrigas aureas tuas refers,
Ut luminibus aliquam afferas lucem meis?
At illa lacrimis tenebrisque horridis
Assueta lucem odere, nec radiis tuis
Imbres suos siccari amant, quibus genas
Rigant, et ora amoris usta incendio.
Sed fulgeas licebit, et radiantibus
Terras, maria caelumque lustres ignibus,
Tamen omnia tenebris inhorrescunt mihi,
Ex quo meus Sol mihi suam lucem abstulit,
Deisque manibus occidens eam tulit.

XXII.

Formosa myrte, roscido imminens antro,
Antrum loquaci suave murmurans fonte;
Fons care, fletu facte amare de nostro;
O quam beate viximus, quoad vixit
Hyella vestra! quoad puella formosa
Mecum jacere ista solebat in ripa!
Hic illa cum meo in sinu recumbebat,
Mihique in aurem ludibunda cantabat,
Tunc, tunc beatam viximus deûm vitam;
Tunc invidebat ipse Juppiter nobis.
Nunc quis miserior Solis aspicit lucem?
Quem saeviore Tartarus premit poena?
Seu vestit alma luce Sol agros, seu nox
Placida rigat gratis soporibus terras,
Nunquam remittit auxius dolor, nunquam
Meos ocellos recreat quies dulcis.
Ut pinguem olivam lentus ignis absumit,
Sic cor misellum est cura saeva, maerorque.
Quo dulcis abiit, hei mihi, decor vultus?
Quo niveus ille purpura color pictus,
Hyella quem suo anteire jurabat?
Jam lacrimae exsangues genas peredére,
Modis et ora pallor inficit miris;
Et illa pulchrior hyacinthino flore
Inculta, squalens, hispidula coma horrescit.
Miser, ah miser Iola, tamen mori cessas?
Vitae, ac dolori pone jam, miser, finem,
Et illa vise regna quae colunt sancti
Manes, ubi beata degitur vita
Sub arborum semper virentium ramis,
Queis insusurrat dulce frigerans aura,
Quam Tethyos circumfluae parit lympha;
At ipsa passim lucidos parit flores,
Quos lacte puro candidi educant rivi.
Illic puellae dulcibus jocis noctem,
Diemque cum suis amantibus ducunt,

Croceis amictae carbasis, pedes nudae,
Omnesque ramis myrteis coronatae.
Semper choreis cantibusque jucundis,
Semper cachinnis tinnulis sonant silvae.
Has nec protervus Auster imbribus foetus,
Nec cana nix, nec aestus impotens tangit.
Sed Ver beatas semper incolit sedes,
Flavas corollis mollibus comas cinctum,
Laetosque Flora cum sua choros ducit,
Ningens rosarum suave olentibus nimbis.
Huc te vocat puella maximis votis,
Tuasque lentas increpat moras saepe.
Valete silvae, tuque fons mihi care
Vale, vale antrum, myrte floridula salve.
Moritur Iolas ille notus in silvis,
Peritus ore fistulaque cantare;
Moritur, suoque vos cruore respergit,
Qui lacteo vos ante rore spargebat,
Qui vos amoenis floribus coronabat,
Docens Hyellam vos sonare formosam.
At tu puella luce carior cara,
Qua mortua misero mihi mori est dulce,
Ades, tuisque manibus meos manes
Amore junge, Hyella candida, aeterno.

XXIII.

Hos calamos, Pan silvipotens, tibi pulcher Iolas;
Saepe quibus cecinit dulcia furta tua,
Dum Cytherea potens et cara sinebat Hyella;
Quae postquam dira tabe peresa jacet,
Pro dulci Musa, pro carminibus jucundis,
Flebilibus complet vocibus ille nemus,
Et dominam cupiens imas invisere ad umbras,
Non somnos oculis, non capit ore cibum.
At tu fortunam pueri miseratus acerbam,
Æternos pietas si movet ulla deos,
Aut misero tantos aufer, bone dive, dolores,
Aut illum silvas transfer in Elysias.

Sed potius longum vivat formosus in aevum,
Et cantet laudes semper, Hyella, tuas.
Dignior haud ullus talem celebrare puellam,
Ulla nec est tali dignior ore cani.

XXIV.

Hanc laurum, formosa, tibi formosus Iolas
Sevit, et hanc madidis irrigat usque genis.
Seu tenebras Vesper, seu lucem portat Eous,
Et laurum lacrimis irrigat et tumulum.
Hinc tumulus violas, et laurus protulit umbras:
Umbrae îsdem crescunt, et violae lacrimis.
Cumque umbris violisque amor infelicis Iolae
Crescit, cumque ipso crescit amore dolor.
Hic dolor heu miserum leto dabit: hic, bona Hyella,
Mox pueri apponet ossibus ossa tuis.
Et quos felici conjunxit foedere quondam,
Nunc infelici funere junget amor.

XXV.

Haec, dulcissime Turriane, lusi
Molli carmine, nec laborioso,
Dum ver florida laetum agebat aetas,
Quam jocus decet, ac leves cachinni.
Nunc Musas vocor ad severiores,
Nunc rerum juvat explicare caussas,
Et caelum memorare caelitesque,
Et qui caelitibus praeest beatis.
O molles elegi, lyraeque dulces,
O et myrtea serta, fistulaeque,
Faunique Dryadesque, jam valete,
Et cum frondiferis, Hyella, silvis.
At tu, progenies Jovis supremi,
Patris deliciae, deûmque amores,
Per quam magna canunt sacri poëtae,
Felix Uranie, mihi benigno
Ades numine, supplicemque tolle
Me tuo rutilante curru ad astra.

M. ANTONII

FLAMINII

CARMINUM

LIBER QUINTUS

EPISTOLAS CONTINENS.

Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem.

I.

Farnesi, pater omnium lepórum,
Hos tibi lepidissimos poëtas
Dono, tempora quos tulere nostra,
Fortunata nimis, nimis beata
Nostra tempora, quae suos Catullos,
Tibullos et Horatios, suosque
Marones genuere. Quis putasset,
Post tot saecula tam tenebricosa
Et tot Ausoniae graves ruinas,
Tanta lumina tempore uno in una
Tam brevi regione Transpadana
Oriri potuisse? quae vel ipsa
Sola, barbarie queant fugata
Suum reddere literis Latinis
Splendorem veteremque dignitatem.
Salvete, o decus, o perennis aevi
Nostri gloria, candidi poëtae,
Quos novem in tenero suo sorores
Nutrivere sinu, suoque digna
Choro Castalio loqui dedere.

Vos et carmina vestra sempiterno
Urbes Italiae colent honore.
Vos et Gallus Iberque bellicosus
Et Germania docta Sarmataeque
Mirabuntur, et ultimi Britanni;
Erit dum Latiis honor Camoenis.
Quin ultra Oceanum, alteroque in orbe
Vos discent populi, quibus redit lux
Aurora exoriente, cum nigrescit
Aër jam tenebris sub axe nostro;
Nam (mirabile dictu!) in iis quoque oris
Nunc linguae studium viget Latinae.
At tu, flosculc Romuli nepotum,
Quem Phoebus pater et Minerva doctis
Certatim artibus expolire gaudent,
Alexander, habe tibi hunc libellum
Venustum, lepidum; tuasque laudes,
Istis quae celebrantur a poëtis,
Æternas fore scito; nam manebit
Æterno aureolus libellus aevo.

II.

Ad Ubaldinum Bandinellum de Liberalitate Guidi Ascanii Sfortiae Card.

Ubaldine, tuo sodali amate,
Potest quantum ab amico amari amicus,
Munus hoc mihi da, tui ut patroni
Divini juvenis manum osculeris
Meo nomine, maximasque grates
Agas, quod decumas mihi quotannis
Pro sua eximia benignitate
Remittit, licet ipse nec salutem
Eum more clientium bonorum,
Nec quidquam faciam, queat quod ipsum
Admonere, meam ut velit benigna

Mente pauperiem juvare: nempe hoc
Magnus Sfortiades movetur uno,
Quod me nec putat improbum, nec esse
A Musis alienum, amore quarum
Ardet maximo, ut omnium est amator
Ardentissimus elegantiarum.
Quare cum nequeam invenire verba
Infantissimus omnium poëta,
Quae tantis meritis rependam; amice
Disertissime, quod supra rogavi,
Id quaeso facito, tuique vive
Semper Flaminii memor, valeque.

III.

Ad Laelium Torellum.

Quod me diligis, et soles libenter
Adjuvare tuos, Torelle, amicos,
Quid per te cupiam impetrare, dicam.
Est consanguineus mihi peritus
Legum, nec senio gravis, nec idem
Admodum juvenis, disertus autem
Et forma egregia: ter ille jura
Galliae populis dedit Togatae,
Cum praetor foret, optimamque famam
Collegit sibi rem optime administrans.
Quod si nunc opera tua licebit
Ipsi dicere jus in urbe vestra,
Et me perpetuo tibi obligàris,
Et tua pariter benignitate
Rem dignam facies facillimamque
Illam mehercule; quando consecutus
Id virtutibus es tuis, ut amplum
Jampridem imperium tibi regendum
Cosmus tradiderit, decus perenne
Cosmus Tusciae et omnium Italorum;

Quo regnante fides, bonique mores
Et doctae rediere Musae ad Arnum.

IV.

Ad Hieronymum Turrianum de Morte Victoriae Columnae.

Cur desiderio modum, et dolori
Me vis ponere, Turriane? acerbo
Cui Victoria fato ademta, quae me
Non minus quam oculos suos amabat:
Quo nihil veniens ab ultimo Indo
Clarius meliusve Sol videbat:
Cui mens candida candidique mores,
Virtus vivida comitasque sancta,
Caeleste ingenium eruditioque
Rara, nectare dulciora verba,
Summa nobilitas, decora vultus
Majestas, opulenta, sed bonorum
Et res et domus usque aperta ad usus.
Illa carminibus suis poëtas,
Quotquot saecula multa protulerunt,
Longe vicerat; illa vincit omnes,
Sive flebilibus modis maritum
Exstinctum decorans sepulcro ab imo
Summa ducit in astra, sive regi
Caelitum, Unigenaeve Regis hymnos
Filio canit: illa vel canendo
Ventos sistere, fluminum morari
Impetus, poteratque leniores
Tigres reddere mitibus columbis.
At tu, surdior Hadriae procellis,
Immitissima Mors, manum rapacem
Illi es injicere ausa: Mors acerba,
Tu Solem Italiae suum abstulisti.
Sed nil proficis; en meae Columnae

Fama sidere clarior refulget;
En Victoria, caelitum beata
Vita nunc potitur, vagique Solis
Sub se lumina cernit, ipsa Sole
Multo splendidiorque pulchriorque.
Ergo flebilibus modum querelis
Jam jam, candide Turriane, pono,
Ne plorem mihi inique amicus illam
Quae laeto celebranda versu, et ipsi
Addenda est numero beata divûm.

V.

Ad Gregorium Cortesium Card.

Cortesi venerande, si quid unquam
Incensae officio rogationes
Apud te valuere, ne recusa
Gregi adscribere candido tuorum
Robertum unanimem meum sodalem,
Florentem ingenio, fide, pudore,
Et Graece optime et optime Latine
Scientem, juvenem pium, elegantem,
Seu juncto pede, seu velis soluto
Doctum scribere, tam tui colentem,
Quam qui maxime, et omnium bonorum
Dignum amicitia. Ergo, mi patrone
Magne, quod petimus, sine impetrare.
Sic tibi Deus optimus senectam
Concedat viridem, diuque laetum
Servet; sic homines tuae supremae
Virtuti tribuant pares honores.

VI.

Ad Stephanum Saulium.

Candidissime Gratiarum alumne,
Ne carus tibi sim, nec ulla signa

Amoris mihi mutui rependas,
Ni te plus amo, quam solet tenella
Unicam genitrix amare natam.
Nec mirum; quid enim potest amore
Tuo dulcius esse? vel quis ullo
Fuit tempore dignus aeque amari?
Honores alius sequatur, auri
Acervum cumulet nitentis: ipse
Sim beatior omnibus beatis,
Annuant modo caelites, ut una
Tecum vivere, tecum obire possim,
Jucundissime Sauli, honore et auro
Et cara mihi carior salute.

VII.

Ad Ulyssem Bassianum.

Ulyssi, mea Musa, dic salutem,
Non illi dea quem Calypso amavit,
Sed quem Pierides amant amore
Quo jam tum lepidum Catullum amabant,
Cum tenellulus Aonas petivit
Montes, et meditans opaco in antro
Mentes virginei chori tenebat.
Dic incredibili ipsius videndi
Me desiderio peruri, acerba
Ut non acrius intimas medullas
Mihi febris adurat. Ipse quando
Viset languidulum? suaque dulci
Me solabitur allocutione?
Nec eum lupa nutriit nec ursa,
Sed comis pater et puella mitis;
Cur ergo rigida aesculo, Hadriaeque
Durior scopulis, meique morbi
Tam securus abest? an ille nondum
Rescivit, mea lectulo cubare

Membra torrida? sic profecto, sic est.
Quare dic juveni, Camoena, caro,
Confestim veniat, fidesque secum
Afferat: volo leniat furentem
Febrim, ut Orphea belluas et iram
Cerberi Eumenidasque saevientes
Mollivisse ferunt lyra canendo.

VIII.

Ad Galeatium Florimontium Philalethem.

Huc ades, Galatee; quid moraris?
Est brevis via, saepiusque dicis,
Cras ad vos veniam, boni sodales;
Nec venis tamen. An putas licere
Amicis dare verba? nos pudendum,
Et contra officium, tuoque hello
Id cognomine prorsus arbitramur
Indignum, hoc nisi vis inepte abuti,
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Remiges Ithaci vagantis olim
Lotos detinuit Libyssa in ora,
Ut mulctralibus haeret usque et usque
Musca lactis amore: te, beate
Senex, quae retinet domi voluptas?
Ecquid delicias tuae Suessae
Praefers deliciis meae Casertae?
Deliras, Galatee; nam Suessâ
Longe pulchrior est amoeniorque
Campanae regionis hic ocellus;
Quem Jocis comitata Gratiisque
Venus, posthabita Gnido Paphoque,
Semper incolit, et suos amores,
Suas delicias fatetur. Ergo
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Hic Sol splendidius nitet, Favonî

Spirat mollius aura, suaviorem
Fert rosam et violam benigna tellus:
Hic est dulcior uva, dulciores
Ficus et pepones: oliva baccas
Non solum patriae tuae, sed ipsum
Venafrum superare gaudet: ergo
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Ecce caseolos tibi recentes,
Atque haedos geminos Hyella donat,
Formosissima caprimulga, Pani
Non impar caprimulga, sive cantat,
Seu levi calamo terit labellum.
Huc ades, Galatee; quid moraris?
En hospes meus, optimus Caserta,
Quo Campania terra gloriatur,
Jam desiderium tui morantis
Nequit ferre; puella sic amantem
Votis ominibusque lacrimisque
Absentem vocat. Ah tuum Casertam
Ne, quaeso, cruciare perge: sed jam
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Is quidem impatiens morae molestae
Ad te jam properasset, aegra membra
Ni vis debilitaret ipsa morbi:
Et tu tam diu abesse sustinebis,
Qui sola potes allocutione
Febrim pellere candido sodali?
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Non Phoebus, mihi crede, filiusve
Phoebi cantibus hunc levarit, herbis
Aut salubribus, aeque ut ipse vultu
Jucundo et lepida dicacitate.
Ergo si tibi cura cari amici est,
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Te vocat domus ipsa, quam solebas
Jocis et salibus facetiisque
Tuis exhilarare: te loquaces

Lymphae, te vocat hortulus venustus,
Tuae tam memor irrigationis,
Quam lactis memor est tenellus infans.
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Non pandunt nitidae rosae per agrum
Formosos calathos, hiare tardant
Flores luteolique caerulique et
Albi et purpurei; suos honores
Agellus tibi scilicet reservat.
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Si venis cito, carminum libellum
Ostendam tibi, quem legens putabis
Te vesci ambrosia, et tibi repleri
Ora nectare. Sin mea procellae
Ferunt irrita verba, mox iambos
Exspecta horribiles, amariores
Felle, absinthio et omnibus venenis,
Quotquot Thessala nutrit ora, quotquot
Ponti terra creat: sed eja age, eja
Huc ades, Galatee; quid moraris?

IX.

Ad Bernardinum Maphaeum, et Antonium Mirandulam de Alexandro Farnesio Card.

Gaudete, o lepidi mei sodales,
Omni jam posito timore, venit
Tandem nuntius optimus, patronum
Salvum et incolumem redire nostrum,
Quem rumor malus Italas per urbes
Divulgaverat esse jam dolore
Confectum lateris, malaque febri,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petit Vindelicas tremendus oras.
At tibi male sit, moleste rumor,
Qui nos sollicito diu timore

Vexasti. En cito patriam reviset
Alexander, et omnium Quiritum
Plausus, gaudia, gratulationes
Laetus excipiet, manusque caras
Nobis jam dabitur deosculari.
O pulcherrime Sol, tuo nitente
Curru fer cito moenibus Quirini
Hunc diem niveum et nimis beatum.

X.

Ad Hieronymum Seripandum.

Commendo tibi, Seripande magne,
Gulielmum, hominem pium, eruditum,
Et candore animi parem columbae,
Doctum praeterea utriusque linguae,
Quodque existimo pluris aestimandum,
Pauperem juvenes tamen docentem
Gratis pauperie mala gravatos.
Illum Graecia magna procreavit
Antiqua probitate moribusque
Dignis Pythagora virum, tuaque
Dignum amicitia: idque ita esse, certo
Sciens, hunc tibi, magne amice, dono,
Virtutique tuae dico, nec alter
Cliens aptior est tibi, nec ipse
Patronum inveniat sibi aptiorem.

XI.

Ad Joannem Casam.

Disertissime Casa, quem libellum
Legendum dederas mihi, relegi
Saepe ac saepius, et tamen legendi
Is desiderium mihi reliquit.
Nec mirum; siquidem tuus libellus
Tam doctus, numerosus elegansque est,

Ut scriptus videatur aureo illó
Saeculo Ciceronis, atque ab ipso
Divino Cicerone. Nec profecto
Vivet iste minus diu libellus,
Quam libri Ciceronis: ergo, Casa
Disertissime, perge, saeculumque
Nostrum orna aureolis tuis libellis.

XII.

Ad Matthaeum Dandulum.

O Brumae mihi vere amoeniores,
Quibus, Dandule care, te fruebar,
Antequam Latium petissem et Urbem!
Cum subit mihi candidarum imago
Illa noctium, et ille propter ignem
Sermo dulcis et Attico lepôre
Conditus, lacrimae effluunt ocellis,
Ut rivus pluvia frequenti abundans;
Nec quidquam mihi suave jam videtur,
Aut videbitur, usque dum redire
Ad carum hospitium tuum licebit,
Quod Phoebus pater et novem sorores
Et virtus celebrant, fidesque honorque.
At donec procul a tuis ocellis
Me tenent superi parum faventes,
Ne, quaeso, pigeat meum dolorem
Te jocis relevare literarum.
Quamquam te patriae imperîque magnî
Cura distinet, est tamen laborum
Quies, ingenuoque sunt (opinor)
Isthaec seria temperanda lusu.

XIII.

Ad Aloysium Priulum.

Dum Canicula fervidis fatigat
Vos caloribus, ipse valle opaca

Sedens propter aquam nitentem amoeni
Mesuli, placido fruor tepore
Veris: attamen hoc, Priule, dicam,
Et dicam sine fraude, malim aduri
Ardenti Libyae Indiaeve ab aestu,
Quam magni alloquiis carere Poli,
Qui virtute sua suoque miro
Cepit sic animum meum lepóre,
Ut illo sine mella amara, soles
Obscuri, nivea atra, ver amoenum
Horridum mihi sit, diesque longo
Anno longior. Ergo sic habeto,
Ut primum potero explicare quae nunc
Me negotia distinent, redibo
Ad vos Pegaseo ocyor volatu.
Quod negotia si mihi facessent
Haec negotium, et expedire nodos
Istos non dabitur brevi, relictis
Nodis atque negotiis revertar;
Nam tanti nihil est, velim ut carere,
Frater optime, te meoque Polo.

XIV.

Ad Donatum Rullum.

Rulle candide, et omnium virorum
Humanissime, quos abhinc trecentos
Annos Appula terra procrearit,
Quod me perpetuis, meosque amicos
Juvas officiis, tuaeque semper
Domus hospitium mihi est apertum,
In hoc eximiae benignitatis
Clarum das specimen, tibique grates
Ago maxime maximas, amice,
Tantis pro meritis, agamque semper,
Atque babebo; referre namque, ut opto,

Nec licet modo, nec licebit unquam.
At quod nuper amore nostri es ausus
Tentare et facere aeque amanter, ac si
Tibi filius aut pater fuissem,
Id vero et mihi et omnibus videtur
Tam magnum, ut tibi debitas referre
Non possim, aut agere aut habere grates;
Non si quidquid ubique gratiarum est,
Habere atque agere et referre possim.

XV.

Ad Jacobum Peregrinum.

Jucundissime amice, cras Tridento
Discedam cupidus tui videndi:
Verum ut commodius loquamur, et ne
Interpellet amicus hic et ille,
In tuo volo te Povilliano
Convenire. Videbis ipse, ne quis,
Linum praeter, ibi adsit: hunc adesse
Non solum, Peregrine, non recuso,
Sed summe cupio; est enim modestus
Et doctus juvenis, mihique amicus
Quam qui maxime. Item cavebis illud,
Ne convivia sint Apiciana.
Adsint pullus, et haedus, et recentia
Ova, illique sales tui, quibus nil
Usquam salsius elegantiusve est.
Haec si, inquam, affuerint, tuum sodalem
Jucunde accipies, nimisque laute:
Nam convivia sumtuosa pejus
Morte vito: jocos facetiasque
Sector mirifice; tuasque regum
Verbis praefero collocutiones.
Haec ex tempore carmina exaravi,
Cum Morilla repente, si quid ad te

Vellem, quaereret: at brevi, favente
Deo, plurima seria et jocosa
Coram: nunc vale, et optimam sororem
Meo nomine plurimum saluta.

XVI.

Ad Ferandum Brancatium.

Tu ne Flaminii putas, Ferande,
Effluxisse animo tuum lepórem,
Carumque hospitium? ante vel propinquo
Nabit Pausilypus mari, vel unda
Sebethi refluens suos adibit
Fontes, pectore quam meo recedat
Imago tua dulcis. Atra sensus
Cum mors abstulerit mihi, manebit
Illa infixa animo; tuamque semper
Virtutem meminisse me juvabit.
Quod si vota mea audiunt benigni
Caelites, adero brevi; nec ulla
Jam res Flaminium hospiti benigno
Avellet: domus una et una mensa
Copulabit utrumque, dum suprema
Dies separet. Interim valebis,
Nil plane dubitans, Ferande, rebus
Me tuum omnibus anteferre amorem.

XVII.

Ad Ubertum Folietam.

Ibis ad patriae lares beatos,
Et desiderium tui relinques
Maximum unanimi tuo sodali.
Nam quo tempore nostra cara coepta
Est amicitia, ex eo medullis

Mihi carior es meis, erisque,
Sensus dum mihi erit amoris ullus,
Propter ingenium tuum, tuosque
Mores et studia artium bonarum
Et stylum Cicerone paene dignum,
Et plane Cicerone mox futurum,
Vitalis modo sis, Uberte, dignum.
Ibis tu procul, et tamen manebis
Meo in pectore fixus, et juvabit
Idem credere de tuo in me amore.
Quod te per lacrimas, amice, amaras,
Quae fluunt oculis tuis meisque,
Per si qua est tibi cura nostri, id oro,
Cito Urbem repete, et tui miselli
Sodalis miserere, quem relinquis
In luctu et tenebris tuo recessu.

XVIII.

Ad Marium Bandinum.

Quod sum pollicitus tibi, futurum
Me tecum cito, id exsequar diebus
Paucis, si mihi faverint benigni
Caelites: reliquum est, ut ipse in urbe
Interim maneas, agellulumque
Tuas delicias sinas valere,
Usque dum veniam, tuoque dulci
Fruar colloquio facetiisque.
Nec Germanicus absit, ille bellus
Et doctus puer, optimoque patre
Dignus filius: hic mihi trecentos
Versus Maeonidae volo Maronis
Explanet varia locutione.
Tu Germanica bella, Caesarisque
Narrabis mihi clara facta, quorum
Ipse non quotacumque pars fuisti:

Cultis versiculis canes amoenos
Hortos, et vitrei lacus decentes
Nymphas: me cithara bonum Gibertum
Juvat dicere, cujus hic agellus
Mihi munere partus: hunc agellum
Ille donat habere, quo nec alter
Baccho et Palladi gratior, nec alter
Musis otia et abditos recessus
Praebet commodius. Modo haec benigni
Faxint propria dona dì, talenta
Croesi despicio, Midaeque acervos.

XX.

Ad Petrum Victorium.

Victori, tibi plurimum fatemur
Nos debere, quibus tuo labore
Hic Aristotelis libellus artem
Et mysteria rhetorum recludens
Explanatur ita apte et eleganter,
Ut quem aegre unus et alter eruditus
Intellexerat ante, ineruditi
Te docente queant labore nullo
Tunc intelligere. Ergo jure cuncti
Indocti simul atque docti amamus
Te de hoc munere, maximasque semper
Labori tuo et eruditioni,
Rhetor maxime, gratias agemus.

XXI.

Ad Antonium Massam.

Etsi Sulpiciis Catonibusque
Non cedis gravitate, nec patroni
Ullius celebrat domum perinde

Ac tuam populus, tamen caveto
Ne supercilio nimis severo
Lusus molliculos meae Camoenae
Spernas, optime Massa; nam Platonis,
Quo nemo gravior fuisse fertur,
Exstant carmina melle dulciora,
Quae summa faciebat is senecta,
Non semper studiis vacans severis.
Et noster quoque Tullius solebat
E foro rediens laborioso
Versus scribere delicatiores,
Ut curis animum gravem levaret.
His auctoribus, ut reor, licebit
Nugas Flaminii legas ad ignem,
Cum te garrula turba liberorum
Dicendi nimio labore fessum
Ad jocos vocat et leves cachinnos.

XXII.

Ad Carolum Gualterutium.

Quas agam tibi gratias, quibusque
Verbis, Carole? qui mei negotî,
Duri, Juppiter! et laboriosi,
Procurator, ad exitus secundos
Rem tam commode et apte et expedite
Duxisti, ut videare par agendis
Rebus Mercurio Jovis ministro,
Quem deum ingenio eloquentiaque
Omnes vincere, praedicant poëtae.
Ergo, candide amice, dum laboras
Pro me quotidie, otio ipse dulci,
Cupitoque fruor Casertae in agro,
Qui pulcherrimus omnium locorum
Jure dicitur. Hic bonas precabor
Musas, ut faciant tibi poëma,

In quo nomen, honos tuaeque laudes
Vivant innumerabiles per annos.

XXIII.

Ad Basilium Zanchum.

Judex candide carminum meorum,
Quamquam gratulor et tibi et faceto
Arcellae, quod amore juncti, et una
Domo, vivitis optime ac beate,
Tamen, si licet intimo sodali
Verum dicere, nec tacere quidquam,
Quod absis, doleo, tuique ferre
Vix desiderium queo; nec illo
Torquetur minus optimus Priulus:
Nam dulcis tua Musa comitasque
Et rara probitas fidesque utrumque
Sic incendit amore, vita acerba
Te sine ut videatur, olim utrique
Jucundissima quae solebat esse
Te praesente. Quid ergo, care Zanche,
Agendum? an tibi suadeam, relicto
Arcella ut redeas? meumne tanti
Commodum faciam et Priulum, ut illi
Cui plus debeo paene quam Priulo,
Sic incommodem iniquus? immo, amice,
Arcellam cole, ama, nec unguem ab ipso
Latum, quaeso, recede; quippe inani
Nos desiderio, tui atque amore
Vel tabescere malo, quam carere
Suis deliciis venustum amicum.

XXIV.

Ad Franciscum Turrianum.

Per tui Ciceronis et Terentî
Scripta te rogo, Turriane docte,

Ut postridie adhuc rubente mane,
Cum foecundat humum decorus almo
Rore Lucifer, exiens Giberti
Domo ad me venias equo citato,
Ne tibi igneus antevertat aestus.
Hic fontem prope vitreum sub umbra
Formosi nemoris tibi parabo
Prandium Jove dignum: habebis et lac
Dulce et caseolum recentem et ova
Et suaves pepones, novaque cera
Magis lutea pruna: delicatos
Addam pisciculos, nitens salubri
Quos alit mihi rivulus sub unda.
Ad mensam vetulus canet colonus
Jocosissima carmina, et coloni
Quinque filiolae simul choreas
Plaudent virgineo pede. Inde ocellos
Ut primum sopor incubans gravabit,
Jucundissime amice, te sub antrum
Ducam, quod croceis tegunt corymbis
Serpentes hederae, imminensque laurus
Suaviter foliis susurrat. At tu
Ne febrim metuas gravedinemve;
Est enim locus innocens: ubi ergo
Hic satis requieveris, legentur
Lusus Virgilii et Syracusani
Vatis, quo nihil est magis venustum,
Nihil dulcius, ut mihi videtur.
Cum se fregerit aestus, in virenti
Convalle spatiabimur; sequetur
Brevis coena; redibis inde ad urbem.

XXV.

Ad Romulum Amasaeum.

Sic te, Romule, copia beata
Fandi et omnigena eruditione

Vincat Pompilius tuus; benignus
Sic te sospitet inter arma, divûm
Rex, oro, mihi mitte crebriores
Posthac litterulas; nec ullus unquam
Tabellarius huc equis citatis
Currat Vindelica profectus ora,
Quin epistolium tuo sodali
Afferat. Neque tu, quid ipse Caesar,
Quid Germania Caesari resistens
Castris oppositis gerat, labora
Mihi scribere: nec quid ipse Caesar,
Nec Germania quid gerat, laboro
Scire: unum hoc mihi nosse, amice, cordi est,
Ut Farnesius inclytus laborem
Durae militiae ferat. Valere
Ipsum dic; nihil amplius requiro.

XXVI.

Ad Adamum Fumanum.

Cum, Fumane, tuus meusque nuper
Scripsisset mihi Turrianus, omnes
De tua medicos salute parvam
Jam spem habere, dolor meam occupavit
Sic mentem, ut fugeret quies ocellis,
Nec flendi modus ullus esset. Ergo
Tam bonum mihi mors acerba amicum
Prima surripiet juventa? amicum,
Quo nec candidior fuit, nec alter
Erit; cui dederat loqui rotundo
Ore pulcher Apollo, sive Graecos
Versus conderet ille seu Latinos.
Haec, et quae dolor improbus querenti
Suggerebat, amice, sum locutus,
Vix parcens superis. Sed ecce laeta
Venit littera nunc, tuae salutis

Felix nuntia, qua meum revixit
Cor, ut flosculus igne semiustus
Solis, quem reficit benigna Luna
Rore frigidulo: nec ulla mater
Natum depositum videns deorum
Dono restitui, magis triumphat
Gaudio. Bone Juppiter, benigno
Quem tu numine janua rapacis
Nunc Orci eripuisti, eumdem eodem
Serva numine plurimos in annos.

XXVII.

Ad Bonifacium Bivilaquam.

De me ne male sentias, amice,
Quod te visere proximis diebus
Cum proclive foret, facillimumque,
Id tamen minime egerim. Per agros
Tuos, et medios quidem ambulavi
Ad Camillum adiens meum; sed, oro,
Qua possem ratione suspicari,
Agros esse tuos, tuamque villam
Quam vidi procul eminentem? amice
Candidissime, tale si quid unquam
In mentem mihi venit aut venire
Quivit, mente tua effluam, meique
Fias nominis immemor, nec unquam
Jucunda amplius allocutione
Digneris tenerum tuum sodalem;
Quod foret mihi acerbius vel ipsa
Morte, sive quid esse morte acerba
Potest saevius: est enim lepóris
Tanta vis tui, et intimas medullas
Ita incendit amore, ut ardeam aeque
Totus, ac juvenis decore capta
Virgo candida suscitantis imo

Flammam in pectore, quam nec imber alto
Caelo praecipitans, nec ulla jam quit
Unda exstinguere; non si amara Tethys
Ardentem Oceani obruat procellis.

XXVIII.

Ad Christophorum Longolium.

Dum tu Naugerio optimoque Bembo,
Longoli, frueris, tuique Tullì
Laudes aequiparare tendis; ipse,
Ubi molibus arduis ad astra
Se tollit Genua, hortulis amoenis
Abditus Stephani mei tuique,
Nunc Aristotelis lego libellos,
Caelestem sapientiam, virique
Mirans ingenium: modo ad Catulli
Dulces versiculos relapsus, inter
Argutas volucres cano sub umbra
Silvae lauricomae jacens: modo ipse
Ludo carmina, qualia in Lycei
Nigris saltibus Arcades canebant,
Antequam fera gens profecta ab oris
Incultae Scythiae procul Menalcas
Tityrosque fugaret: ipse vero
Saulius, tua dum laborat ire
Per vestigia, Tullium urget, uno
In illo stupet, et nimis beatum,
Longoli, putat esse te, benignus
Cui dat Juppiter esse tam propinquum
Scriptori egregio. Ast ubi remisit
Æstus, nec querulis sonant cicadis
Arbusta amplius, igneusque jam Sol
Abit, nos pelagi propinqui ad undam
Imus: hic scopulo sedens uterque
Pisces captat arundine, et videre

Cymbas purpureo mari volantes
Juvat. Flaminii tui tuique
Saulì, candide amice, vita qualis
Sit, vides; ea si placet, venito,
Et vitae cumulum addito beatae
Tui Flaminii tuique Saulì.

XXIX.

Ad Dominicum Saulium.

Quod virtus tua maxima invidorum
Telis objicitur, dolere, Sauli,
Nunquam desino pro meo vetusto
In te amore, tuaque perpolita
Doctrina et bonitate singulari:
Idem gratulor intuens tumultu
In tanto placidam tuam quietem,
Dum mente intrepida impetum furentis
Fortunae toleras. Sed ipsa tandem
Innocentia vincet; et repulsis
Cernes criminibus tuam micare
Famam, ut nubibus hinc et hinc fugatis,
Sol ardet radians nitente luce.

XXX.

Ad Philippum Gerium.

Quid rerum geris, o venuste Geri?
Num cessas? tibi nil minus profecto
Convenit, bona quem Thalia parvum
In sinu erudiit suo, deditque
Vatum florea prata pervagantem
Versus fingere melle dulciores.
Quod si scribis, ut arbitror, tuumque
Moronum celebras, ad astra justis

Ferens laudibus, aureosque mores
Virtutesque viri paras in aevum
Æternare, facis quidem quod est te
Et tua pietate dignum: at illud
Indignum nimis et nimis molestum,
Quod celas, neque me, ut soles, amice,
Oblectas lepida tua Camoena.
Quare per tuum Apollinem tuamque
Musam et Maeonidem sacrum et Maronem
Oro, si quid habes, bono sodali
Mitte: nil mihi gratius, magisve
Nostro feceris hercle amore dignum.

XXXI.

Ad Octavium cognomento Patrem.

Octavi Pater, ad Viterbiensem
Secessum venias, rogamus omnes;
Polus, Parpalias, Priulus, ipse
Tuus Flaminius: nec esse Romae
Tutum est, cum rapidus caniculari
Æstu Sol furit, et Viterbî in urbe
Jucundo fruimur tepore veris
Æstate in media: nec ulla certe
Est salubrior ora, nec sodales
Tui habes, mihi crede, amantiores
Usquam; te licet elegantiorum
Nemo non amet unice, colatque.
Cur ergo, Pater, huc venire cessas?
Num te illa innumerabilis librorum
Tenet copia curiosum? habebis
Et hic Graeca volumina et Latina,
Quae lassare valent decem otiosos
Plinios; licet usque et usque et usque
Noctes atque dies legas, ut hercle
Facis, (ne dubita) tamen novorum

Haud te deficiet librorum acervus .
Ergo rumpe moras , Pater venuste ,
Mellite , optime , nec tuos sodales
Contemptos habe . Amore vinci ab ullo
In primis tibi turpe , quem fatentur
Exemplum memorandum amoris omnes .

XXXII.

Ad Ludovicum Beccatellum .

Si recte tibi , Ludovice care , est ,
Gratias ago dîs : at esse recte
Quî potest ? brevis hora si quieti
Vix unquam datur et bonis libellis ,
Quibus nil tibi carius , salutem
Multam dicere cogeris , nec agri
Licet delicias tui videre .
Sed dic , optime amice , quis laborum
Tandem finis erit ? vides capillum
Jam canescere , jam senecta frontem
Rugis incipit exarare , nec tu
Vivere incipis ? an manum rapacem
Dum Mors injiciat tibi repente
Exspectas ? miser , ah miser , fugaci
Vitae consule , et Urbe derelicta ,
In tuo requiesce tandem agello .

XXXIII.

Ad Nicolaum Ormanetum .

Quid , o candide amice , semper ista
Juvat vivere in Urbe , cursitando
Nunc per limina principum superba ,
Nunc subsellia judicum terendo ?
Ormanete , fugit levis juventa
Ventis ocyor , et subit senectus
Curva , quam sequitur ferox tenebris

Mors operta, nec illius furorem
Arcet nobilium favor: clientem et
Patronum rapit illa. Amice, quaeso,
Vive, dum licet, otioque dulci
Ruris elue amara civitatis.
Si gustare mei semel quietem
Agelli potes, et periclitari
Quam sit suave tumultuosa ab Urbe
Semotum sibi vivere, otiosa
Nunquam sit mihi vita, ni potentum
Fortunasque domosque gratiamque
Arbitrabere vix pili aestimandas.
Tunc dices; Nihil est profecto mirum,
Meus Flaminius quod esse laetus
Fortuna exigua brevique censu
Audet, nil populi leves honores
Curans, nil rutilos Midarum acervos.

XXXIV.

Ad Raymundum Turrianum de Francisco Fratris ejus Filio.

Venimus, bone Turriane, ad Urbem
Salvi et incolumes, nec ulla passi
Viae incommoda; verum in Urbe posthac
Salvi et incolumes utrum futuri
Simus, nescio; nam tremit tumultu
Tellus Romula maximo: propinquat
Miles barbarus, et ferox minatur
Caedem, incendia; nec satis videmus
Tantorum effugium periculorum.
Sed cum multa animo meo recursent
Molestissima, nil ita ad dolorem
Accidit grave, ut hic videre fratris
Tui filium. Acerba sic ne fata
Tulisse, ut puer hic ad Urbem adiret
Isto tempore tam periculoso?

Me ne, quod nimis ingravat dolorem,
Exstitisse profectionis hujus
Auctorem? bone Juppiter, malorum
Quidquid huic puero imminet, redundet
In meum caput, obsecro. Quid iste
Puer commeruit? puer bonarum
Cura Pieridum; puer Catullo
Suo municipi futurus olim
Par aut major: et hunc, Apollo sancte,
Sines ludibrium esse barbarorum?
Huc ades, bone dive, seu fluenta
Xanthi, seu retinent amoena Cynthî
Te juga; huc ades, o pharetra et arcu
Insignis; fera fata si Quirini
Urbem evertere destinant, misellum
Ah saltem puerum tuum, tuumque,
Oro, Flaminium tuere. Uterque
Est tuus famulus; uterque sese
A primis tibi dedicavit annis.

XXXV.

Ad Honoratum Fascitellum.

Fascitelle, quid otio in beato
Dictavit tibi roscidis sub antris
Musa candida? nil soles profecto
Unquam scribere laurea corona
Non dignum. Ipse miser tumultuosa
Urbe detineor: tibi benignus
Dedit Juppiter in remoto agello
Latentem placida frui quiete
Inter Socraticos libros, et inter
Nymphas et Satyros, nihil profani
Curantem populi leves honores.
Verum, sive aliquid Marone dignum
Pangis, sive modis Horatianis
Juvat ludere, quidquid est, sodali
Tuo mitte. Alii sibi atque Musis

Scribant: tu cave, carmina occulas, quae
Digna sunt medio legi theatro.

XXXVI.

Ad Blosium Palladium.

Plurimam Blosio suo salutem
Dicit Flaminius malus poëta
Omnium lepidissimo poëtae.
Quae tu carmina per jocum atque lusum
Scripsisti ad Jovium bonum sodalem
Jucunde, lepide, facete, amanter,
Non sunt Flaminio malo poëta
Digna carmina, sed tuo Catullo,
Quo nil salsius elegantiusve.
Nam nec tam similem suo gemello
Gemellum peperit venusta Leda,
Es tu quam similis tuo Catullo.

XXXVII.

Ad Joannem Franciscum Binum.

Quid Horto, bone Bine, qui solebat
Plura carmina quam rosas et herbas
Olim fundere, contigisse dicam?
Cur ex garrulo et eloquente factus
Jam sit Harpocrates? tamen nec illi
Desunt lilia, nec rosae: ille grandes
Lactucas habet ocymumque: tortus
Abundat cucumis, rubent ubique
Fraga: quin et apis levi susurro
Illum provocat ad canendum: at ipse,
Quasi grandine verberatus esset,
Aut fur omnia sustulisset, odit
Jocum et carmina; scilicet sequuntur
Mores et domini instituta, servi.
Dum tu carmina, Bine, amasti, et Hortus

Ipse carmina amavit: at simul tu
Lucrum versibus esse praeferendum
Putasti, Hortus item studet lucello,
Et se divitibus locat, merasque
Nugas carmina ineptiasque ducit.
At tibi male sit, malum lucellum,
Musae pernicies malum lucellum.
Tua certe opera bonis facetisque
Horti carminibus diu caremus.

XXXVIII.

Ad Bernardinum Maphaeum.

Maphaee unanimis mihi sodalis,
Si quid de domini tui meique
Salute est tibi nuntiatum, amabo,
Fac me participem, malamque curam,
Quae affixa interioribus medullis
Noctes atque dies edit misellum,
Aufer. Vindelicis enim feruntur
Nuntii lacrimabiles ab oris
De febri assidua et periculosa
Farnesî. O nimium mihi molesti
Nuntii, mala tanta qui minantur!
Quod si quid melius tuae cupitae
Ferent litterulae, metumque tristi
Absterges animo, tibi rependent
Centum versiculos meae Camoenae,
Qui testentur ubique, dum licebit
Ipsis vivere, nil fuisse magni
Farnesî mihi carius salute.

XXXIX.

Ad Petrum Viperam.

Fortunate senex, senex beate,
Quo te carminè praedicare possim?

Est domus tibi parva, sed supellex
Munda, lectulus elegans, tabellae
Quae suis oculos vel eruditos
Figuris teneant, cubiculumque
Ornatum satis et satis librorum
Magna copia, qui bene ac beate
Docent vivere, mensa pura, victus
Simplicissimus. Est tibi fidelis
Minister, vetulus sodalis idem,
Quî cum fallere tempus, et jocari
Soles suaviter; est enim facetus
Senex, blandus, amabilis, disertus.
Haec ad commoda tam beata magnum
Adjungit cumulum hortulus venustus,
Quem vel Corycius senex agello
Suo praeferat, omniumque dicat
Pater Nausicaae hortulorum ocellum.
Adde, quod viridis tibi senectus,
Quod mens candida candidique mores,
Quod sestertia quinque ab Urbe missa
Sunt satis tibi singulos per annos.
Abest ambitio, timorque leti,
Et quidquid miseram facit senectam;
Nam Deo pietas amica, vitae
Et morti bona cuncta pollicetur.
Fortunate senex, senex beate,
Quo te carmine praedicare possim?

XL.

Ad Hieronymum Bagium.

Cum tot sustineas, Bagi, labores,
Tot negotia nostri amore, quidnam
Pro tantis meritis tibi rependam?
Unum hoc scilicet, elegantiarum
Ut patrem omnium et omnium lepórum
Domi convenias, eique dicas

Meo nomine plurimam salutem .
Quis iste , unde , ubi sit , requiris ? hic est
Optimus Galeatius , Suessa
Quem ferax genuit , tenent Penates
Nunc tuae patriae , et domum frequentat
Moroni egregii : ille te benigne
Amplexabitur , ut meum sodalem .
Id primo ; ast ubi vir bonus venustos
Et mores faciles tuos parumper
Gustarit , geret in suis ocellis
Tuo nomine te , nec alter illi
Erit carior ; hinc senex habebit
Maximam mihi gratiam : ipse , quidquid
Tibi debeo , persolutum abunde
Arbitraberis , et simul putabis
Me tuum insuper esse creditorem .

XLI.

Ad Marium Galeotam .

Tu ne , docte Mari , tuo sodali
Potes consulere , ut suas ineptas
Nugas edat , et ora per virorum
Vagari sinat ? Actio ne vestro
Me contendere vis ? ego , inquam , amice ,
Postquam is carmina tam venusta , tamque
Polita edidit , audeam libellos
Meos edere ? nonne , quaeso , id esset ,
Olori obstrepere anserem ? sit ergo
Satis , si tibi candidisque amicis
Lusus putidulae meae Camoenae
Ostendo . Nihil est mihi timendum ,
Dum sese mea continet Camoena
Istis finibus : at venire in ora
Si vulgi audeat , ah nimis misellum
Tum Flaminium ! boni poëtae

Quem Aquinum, Bavium et sui venenum
Saecli atque opprobrium esse praedicabant.

XLII.

Ad Blosium Palladium.

Leporum pater et facetiarum,
Blosi candide, cernis, ut profundum
Tuis hendecasyllabis jocosis
Veternum excutias meae Camoenae,
Quae jam dedidicit loqui Latine,
Et pedes reperire, queis venusti
Currunt versiculi, sonosque dulces
Portant auribus eruditiorum?
At tu quidquid id est ineptiarum,
Quod mitto tibi, per tuam Turundam,
Per sales, joca, tinnulos cachinnos
Festivae comites dicacitatis,
Per tuos, precor, Atticos lepóres,
Ne prodire sinas in ora vulgi,
Jucunde, unanimis, venuste amice.

XLIII.

Ad Ludovicum Canossam.

Rogas ut veniam, Canossa, ad agri
Tui delicias, et eleganter
Describis mihi prata, villam et hortos
Et fontem et fluvium nemusque opacum.
Haec sunt maxima, maximeque possint
Quemvis allicere: at nihil profecto
Me tuo magis allicit lepóre
Et tua bonitate singulari;
Queis ita afficior, patrone magne,
Ut tunc denique vita cara, dulcis,
Vitalis mihi sit, tuis adesse,
Cum possum, alloquiis, daturque tecum

Coenare et legere et deambnlare.
Ergo, si mihi dì favent, omissis
Curis omnibus ad tuum volabo
Garzianum, ubi primum amabilis lux
Rebus reddere coeperit colorem
Die postero. Interim valebis.

XLIV.

Ad Fabritium Brancutium.

Fabriti optime, qui manu eleganti
Scribis carmina, quae Camoena dictat
Singulis mihi noctibus, quietem
Dum terris sopor irrigat, quid ipse
Quid pro te faciam? deos rogabo,
Ut qui carior est tuis ocellis
Tibi Tullius, is suum in loquendo
Lepórem ingeniumque copiamque
Inspiret tibi, nobilemque, et illam
Scribendi variam optimamque formam
Det effingere sic, ut esse cunctis
Tullius videare, Tullianus
Qui jure omnibus esse nunc videris.

XLV.

Ad Hieronymum Pontanum.

Quod, Hieronyme, patriis ab oris,
Cornelìque Foro procul remotus,
Nunc urbem maris incolo Hadriani
Reginam, modo Romuli superbas
Arces praéfero, vel venusta rura
Casertae, nihil est profecto, cur me
Amantem patriae parum arbitrere.
Ante nrbes alias et ante me ipsum
Illam semper amavi, et usque amabo,
Dum sensum mihi caelites amandi

Concedent. Itaque ipsa magnitudo
Amoris facit, ut carere malim
Optata genitrice, quam videre
Illam armis odiisque saevientum
Natorum laniatam. Acerba fata
Cives praecipites agunt, nec ulla
Tangit cura parentis efferatas
Mentes. Cur igitur colam paternos
Lares? num ut videam meis ocellis
Vias sanguine civium meorum
Manantes, et ubique tecta saevo
Igne ardentia? quin meas ad aures
Nefanda haec scelera, impiaeque caedes
Quando perveniunt, abire ad Indos
Et ultra oceanum opto, quo nec ipsum
Nomen dulce mihi, simulque amarum
Cornelì penetret Fori, nec ulla
Ruentis patriae venire possit
Fama, quae mihi sic acerba, sic est
Taetra atque horribilis, deos ut hercle
Noctes atque dies rogare pergam,
Vel servent patriam meam, vel ipsi
Dent mihi subita perire morte.

XLVI.

Ad Vincentium Gerium

Ergo, candide Geri, abire certum est?
Tu ne, quem mihi luce cariorem
Fecerunt lepidi bonique mores,
Abibis procul, et procul manebis
Semper? o mihi rem gravem atque acerbam!
Cur, ah cur, superi, meos amicos
Aut exstinguitis aut meis ocellis
Vivos surripitis? perire malim
Profecto, mala quam videre tanta.

I felix tamen, i, venuste Geri,
Et solare tuam bonam parentem,
Quae desiderio tui misella
Tabescit; nimium diu misella
Caret deliciis suis, facitque
Vota vix numeranda pro cupito
Filii reditu. Sed, o tenella
Mater, flebilibus modum querelis
Pone; jam venit, en venit venustus
Ad te filius, atque eum venustae
Virgini sociabis, et venustam
Videbis sobolem brevi, et juvabit
Saepe dicere balba verba parvis
Anum cum pueris puellulisque;
Et cum venerit hora jam suprema,
In nati gremio beata vitam
Finies, satis et super nepotum
In turba numerosa adhuc superstes.

XLVII.

Ad M. Antonium Faitam, de Morte Victoriae Columnae.

Marce, cui citharam dedit canorus
Apollo, citharam cape aureumque
Plectrum, et Flaminii tui dolorem
Leva, quem capit ex suae Columnae
Acerbo interitu. Hei mihi, Columna,
Omnes laetitias meas ad unam
Exstinxti moriens! Columna, morte
Tua, reddita vita leto amaro
Mihi tristior est; nec ulla cordi
Jam quies datur, ex quo acerba fata
Te mihi eripuere. O mearum
Curarum requies, tuo licebat
Dum sermone frui, tuisque sanctis
Ægram colloquiis levare mentem!

At tu, candide Marce, si qua nostri
Tangit cura animum tuum, experire,
Num cantu citharae tuae sonorae
Infandos animi mei dolores
Temperare queas. Amice dulcis,
Paullisper recrea misellum amicum;
Sic Phoebus pater et novem sorores
Ament te mage quam suos ocellos:
Sic cedat tibi magnus ille Arion,
Omni Nereïdum choro stupente,
Quem pisces placido tulere ponto
Curva ad litora Taenari canentem
Lyrâ carmina eburneâ, furentes
Quae maris requiescere procellas,
Et duros scopulos movere possent.

XLVIII.

Ad Tryphonem Bentium.

O dentatior et lupis et apris,
Et setosior hirco olente, et idem
Tamen deliciae novem dearum,
Quae silvam Aoniam colunt, et idem
Amores boni Apollinis, quot, oro,
Epigrammata post meum recessum
Dictarunt, bone Benti, et iste et illae
Suis deliciis, amoribusque?
Nam quidam meus et tuus sodalis
Tridento veniens, ait trecenta
Te vel plura Epigrammata incitatum
Plusquam Pierio furore nuper
Effudisse, quibus vel ipse cedat
Meus Naugerius meusque Bembus.
Quae si sunt mihi nuntiata vere,
Plurimum tibi gratulor: sed idem
Irascor tibi non minus, quod isthaec
Celas Flaminium. Sed heus amice,

Num reddit furor iste te superbum ? et
Nos vates minimi videmur esse
Indigni quibus haec legenda mittas ?
Sed contra, furiose, sic habeto :
Musarum furor haud facit superbum,
Sed comem et facilem : vide ergo, Benti,
Ne tuus furor iste sit cerebri,
Qui feros facit et malos poëtas.

XLIX.

* *Ad Hieronymum Fracastorium*.

Frastori venerande, cui medendi
Usum pulcher Apollo, carminisque
Artem donat habere, nonne cernis
Tuum Flaminium perire dira
Tabe ? non recreat cibus misellum ;
Non grata vigiles quiete ocelli
Teguntur : macie vides suprema
Corpus confici, ut umbra inanis esse
Jam plane videar, modisque miris
Pallor occupat ora, languidosque
Artus vix traho, nec juvare possunt
Dulci carmine candidae Camoenae,
Nec blando alloquio boni sodales :
Ipsa sed mihi lux amara, et atrae
Noctis tempora sunt amariora
Felle et Thessaliae malis venenis.
At tu, candide amice, vel sodali
Fer tuo auxilium, vel ipsa morbi
Si vis tabifici recepta venis,
Humanis opibus, magistrae et arti

* Hoc carmen in calce Carminum Fracastorii Cominianae editionis 1718. pag. 173. cuidam Antonio Mario perperam tributum est, cum revera sit M. Antonii Flaminii. Vide ejusdem Fracastorii responsionem ad hoc ipsum Epigramma prope finem hujus editionis.

Nescit cedere, carminum tuorum
Lepóre advoca Apollinem, rogaque
Ne prima miserum sinat juventa
Tam crudeliter interire. Cur ah
Cultorem patitur suum sub ipso
Flore aetatis abire moestum ad umbras
Pallentes Erebi? quid ergo prodest
Ipsi et Aoniis suis puellis
Cuncta posthabuisse? quidve prodest
Vita puriter acta; nunc misello
Nunc o subvenias, Apollo sancte,
Et preces teneri tui poëtae
Audi dexter: opaca sive Cynthi
Umbra, sive Heliconii recessus
Te tenent nemora aureo sonantem
Plectro carmina, quae beata lauri
Discit silva, ades o deûm voluptas,
Ades numine dextro, et imminentem
Orcum jam capiti meo repelle;
Ut Frastorius ob suum sodalem
Salvum et incolumem tibi rependat
Mille carmina, te canens tuamque
Matrem et virgineos tuae sororis
Mores et studia et pharetram et arcum et
Currum noctivagum aurea inter astra,
Quo se candida diva fert Olympi
Per campos, lavis ipse cum rubente
Fessas Oceano tuas quadrigas.

L.

Ad Hippolytum Atestinum Cardinalem.

Clara semideûm propago avorum,
Romani decus inclytum Senatus,
O si praeteritam mihi juventam
Dî magni referant, oloris instar
Cum vox dulce sonans fluebat ore

Gaudens Æolio sacrare versu
Heroum benefacta, non mehercle
Indictas sinerem tuas canendo
Laudes: te mea Musa dulcis omnes
Ferret per populos, tuumque nomen
Astris insereret. Sed alba utrisque
Serpens temporibus senecta cantum
Abstulit mihi, spiritumque, Phoebi
Munus, in vacuas fugavit auras.
Quare ne tenuem tuos honores
Jam factus nimium malus poëta,
Illos suspiciam, pater, silendo.

LI.

Ad Laelium, et Hippolytum Fratres Capilupos.

Fratres optimi, et optimi poëtae,
Nec minus boni amici, et iidem amati
Ob mores lepidos et elegantes
Amicis mage, quam suas puellas
Lascivi juvenes amant, quid, oro,
Quidnam consilii datis? solemus,
Ut fit, ludere versibus, remisso
Nonnunquam studio severiore.
Hos versus alii probant, eosdem
Improbant alii: ipse, utris habenda
Fides, nescio; sed fidele vestrum
Sequar consilium, boni sodales,
Quos docti merito hujus eruditi
Ævi Quintilios solent vocare.
Ergo mitto mearum ineptiarum
Partem: vos legite, atque utrum relinquam
Hoc ludi genus, an sequar, monete.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER SEXTUS

Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem.

I.

Farnesi inclyte, forsitan videbor
Jure stultus, ineptus, impudensque,
Ausim qui tibi semper occupato
Meis versiculis molestus esse.
Verum ad jugera multa quae dedisti
Agri fertilis, id mihi, patrone
Magne, addas, rogo, munus, ut pusillum
Hoc meae pietatis atque amoris
Pignus accipias; neque esse possum
Ingratus, neque dì boni dederunt,
Ut possem meliusve apertiusve
Id ostendere, quam tibi libellum
Hunc si mitterem. Id ipse ne recusa
Boni consulere, et tuum clientem
Perge, ut hactenus, obsecro, tueri.

II.

Ad Musas.

Unde hic tam novus advenit
Ardor? quove mihi mens trepidans abit?

Jam jam moenia Romuli,
  Et coetus hominum linquere gestio.
En dulcis Polyhymnia
  Phoebeos iterum me rapit ad specus,
Et pulsare jubet diu
  Desuetam Æolio pectine barbiton,
Ut fontes mihi Thespios,
  Et Cirrhea libet antra revisere,
Silvamque Aoniam, pater
  Quam Phoebus tenet ac virgineus chorus
Nympharum, citharae quibus
  Et permixta placent carmina tibiis!
O dextro mihi numine
  Adsitis, superùm deliciae! haud ego
Iram fortis Achillei,
  Vel Grajis jaculantem Hectora puppibus
Ignem, aut terrigenùm impia
  Titanum cupio dicere proelia:
Farnesî decus inclyti
  Alis Pindarici tollere carminis
Ad caeli vaga sidera
  Fas sit, Pierides: tunc licet ultima
Parcae fila legant mihi,
  Vivet nemo mea sorte beatior.

III.

Ad Stephanum Saulium, et Ulyssem Bassianum

Sauli candide, tuque Bassiane
  Mi dulcissime, nunquid, oro, scitis
  Vestrum Flaminium repente factum
  Ditem jugera magna possidere
  Agri fertilis et domum venustam
  Divini juvenis benignitate?
  Me Farnesius inclytus beavit,
  Et Musas colere otiumque dulce

Jussit. Quas igitur referre grates
Dignas, quas agere aut habere possim?
Nullas scilicet: at licebit hercle
Virtutesque tuas tuasque laudes,
Farnesi venerande, praedicare.
Quod si det mihi spiritum benignus
Pater Castalii chori, et canenti
Vires sufficiat, profecto vives
Semper in lepidis meis libellis,
Dum vivent monumenta litterarum.

IV.

De Saxis Romae nuper repertis.

Haec Saxa publicis notata litteris,
Quibus triumphi consulesque origine
Ab ultima indicantur ad novissimam
Octaviani Caesaris diem, tibi
Farnesius Alexander e Fori eruta
Altis ruinis, magna Roma, dedicat,
Ut sint decusque, civiumque acerrima
Ad aemulandam gloriam incitatio.

V.

De Liberalitate Alexandri Farnesii Card.

Dilectus Phoebo et Musis, sed pauper Iolas,
Et semper domini pascere suetus oves,
Nunc dives pecoris Farnesî munere factus,
Factus et illius munere dives agri,
Divino juveni meritis pro talibus ipsam
Et vocem et calamos ingeniumque dicat.

VI.

Ad Agellum suum.

Umbriferae platani, et formosae cyparissi,
Antraque muscosis roscida pumicibus,

Non mea vos Nymphas resonare docebit avena
  Amplius : ad cantum me vocat alter amor.
Farnesî virtus mihi dulcem in pectore flammam
  Suscitat : hunc ignem dulcis avena canet.
Vos nomen juvenis divini discite : laudes
  Semper et illius, pulcher agelle, sona.

VII.

Ad Alexandrum Farnesium.

Farnesi, nomenque tuum laudesque sonabit
  Hoc nemus et culti vallis amoena soli,
Dum potero meminisse, tuo quod munere dives
  Musas et Musis otia grata colo.

VIII.

Ad eumdem.

Has tibi odoratas, Farnesi magne, corollas
  Mittit ab Aonio candida Musa jugo,
Quod carum Nymphis tua virtus ditat Iolam
  Restituens patrii dulcia rura soli.
Haec cape nunc, majora dehinc habiturus : Iolae
  Tu modo praesenti numine semper ades.

IX.

Ad eumdem.

Pauperies, hominum fera pestis, et ira deorum,
  Excruciare malos nata, bonosque simul,
Quaere alias sedes; nam te Farnesius heros
  Amplius in nostra non sinit esse domo.
Ecce venit properans pleno laetissima cornu
  Copia, quam sequitur dulcis et alma Quies.
Illa timere famem diram vetat : altera mandat
  Ut Phoebo et Musis otia digna colam.

Magnus Alexander, magna haec qui donat habere,
  Jure mihi magni numinis instar erit.

X.

Ad eumdem.

Ne mea, Farnesi, properent ad carmina Nymphae,
  Neve meas curet Pan Tegeaeus oves,
Si mea te praeter cantabit fistula quemquam,
  Si mihi non magni numinis instar eris.
Et merito; mihi solus enim facis otia, solus
  Tristitiam longe, pauperiemque fugas.

XI.

Ad Bernardinum Maphaeum.

Pone modum, Maphaee, tuis hortatibus, et me
  Scribendi finem jam sinito facere.
Non ego sum Musis inimicus: semper amavi
  Haec studia, et magno semper amore colam;
Sed veluti solitus cursu praevertere ventos,
  Atque referre domum praemia fortis equus
Deficit, infirmae cum sensit damna senectae,
  Et genua amissis viribus aegra trahit:
Sic ego, qui doctis solitus certare poëtis
  Dulcia Musarum praemia saepe tuli,
Nunc fessus jaceo morbo gravis et gravis annis;
  Ad bona nec vires carmina sufficiunt.
Haec est ingrati justissima caussa silentî,
  Hoc, Maphaee, mihi nomine danda quies.

XII:

Ad Hieronymum Saulium Pontificem Bari,

Si quid de Stephano tuo, patrone
  Dulcis, est tibi nuntiatum, id oro

Ne celaveris. An febri laborat
Ille, ut rumor ait, procul paterna
Domo, affinibus et bonis amicis?
O deus mihi si quis addat alas,
Ut volem citus ultimas ad oras
Galliae, quibus is jacere fertur,
Ipsi ego omnia fratris et parentis
Praestarem officia, et juvaret una
Mori et vivere. Nam quid esse gratum
Queat te sine, amice amate nobis,
Quantum vix Pylades Orestem amavit?
Sed quidquid metuo, ferant procellae
Ad Parthos Arabasque; tuque Sauli,
Alterum Genuae decus, clientem
Bonum siquid amas, tuis jubeto,
Quidquid de patruele nuntiatur,
Id dicant mihi; sic superba Roma
Jam solvat tibi debitos honores.

XIII.

Ad Matthaeum Dandulum.

Care Dandule, quid moraris? aestas
Maturare jubet propinqua: verum
Ni fallor, tibi Paulla dulcis uxor
Has moras facit. Heu misella! solam
Domi te ne manere? te videbit
Nunquam sol oriens cadensve laetam,
Dum conjux aberit cupitus; et cum
Lassulam excipiet torus, doloris
Non lenimen erit, sed usque amaris
Ille lacrimulis tuis madescet.
Sic flet turtur, acuta cui tenellum
Comparem abstulit aucupis sagitta.
Sed tu desine flere; non maritus
Trans alpes graditur feras, ut olim,

Sed Tuscum Tiberim et beata Romae
Viset moenia missus a potente
Orator patria. Hic salubre caelum,
Hic est maxima civium suorum
Semper copia, et hinc tribus diebus
Ad te, si velit, is redire possit.
Quare sis animo bono, atque euntem
Fausto prosequere omine, et rogato
Votis assiduis Deum, benignus
Ut salvum tibi conjugem reducat.

XIV.

Ad Donatum Rullum.

Quid, o Rulle, sodalium tuorum
Spem ludis toties? ego, Priulus,
Stella, Parpaliasque, Madiusque,
Omnes denique te putaveramus
Danduli comitem esse, ut ambo eratis
Nuper polliciti: sed ille cum te
Non adduxerit, haud profecto scimus,
Plus ne laetitiae, an doloris ejus
Adventus ferat: illum adesse multum
Laetamur, sed abesse te dolemus
Tantum, ut gaudia diluantur ipsa
Valde tristitia. Veni ergo tandem,
Rulle care, cupite, nosque amicos
Maerentes hilara tuo lepóre;
Quodque ab officio lucratus es jam
Cognomen tibi pluris aestimandum
Thesauris Arabum, Indiaeque gemmis,
Id tu si retinere vis, amice,
Cave, durus et asper esse pergas.

XV.

Al Ulyssem Bassianum.

Ergo, candide Bassiane, vivis?
O cara mihi carior lute,

Jucundissime Bassiane, vivis?
Dulcis littera, litteris notanda
Aureis, mihi nuntias ne vere
Meum vivere Bassianum? at illum
Rumor dixerat esse jam sepultum.
Rumor pessime, paene me sepulcro
Dedisti mala tanta nuntiando.
O factum bene! Bassianus ille
Phoebi deliciae, perire nunquam
Dignus, en superûm benignitate
Vivit. Flaminio tuo superstes
Vivas o utinam, venuste amice;
Nec de te mihi fama tale quidquam
Posthac nuntiet. Ipse vitam in istam
Veni te prius, hinc prius recedam.
Te spectem moriens: meos tu ocellos
Cara claude manu; piis sepulcrum
Humecta lacrimis, diuque vive.
Te superstite, Bassiane care,
Non omnis moriar, meique magna
Pars vivet, mihi crede, adhuc superstes.

XVI.

Ad Joannem Baptistam Philiarchum.

Dic oro, Philiarche mi, virorum
Quotquot Tuscia vel tulit, feretve,
Candidissime, num domus paterna
Et domestica gaudia et tuorum
Aspectus tibi profuere tantum
Ut illa assidua et periculosa
Destillatio cesserit? süerunt
Saepe laetitiae fugare morbos
Longe fortius arte, quam saluber
Phoebus instituisse filiusque
Phoebi dicitur: hoc tibi secundus
Si Deus dedit, o nimis beatum
Sodalem tuum, et o nimis benignum

Tuo Flaminio Deum! profecto
Nil mihi poterat mage expetitum
Votis omnibus evenire; non si
Frater deliciae meae relicto
Sepulcro ad superas redisset auras.

XVII.

Ad Ludovicum Beccatellum.

Ne vivam, bone Ludovice, ni me
Et mei miseret tuique; nam quis
Deus, vel mala sors utrumque semper
Captivum tenet Urbis in tumultu?
Si nos ambitio, pecuniaeve
Augendae premeret sitis, tacerem:
Sed cum divitiis honoribusque
Magnis otia praeferamus, ah cur
Romam praeferimus meo Lavino
Albinoque tuo? O venusti agelli
Musarum domus et quies laborum
Tam longe mihi vita num manebit
Ut meos satiare possim ocellos
Vestro dulci et amabili decore?
O tandem placida et beata rura,
Nos carum accipite in sinum; nec ulla
Vis avellere possit. Hic et haedo
Et pomis oleaque, pensilique
Uva nos alite, et simul supremum
Tempus venerit, ossa sub virenti
Lauru condite, qua fugit per herbas
Suavem rivulus excitans susurrum.

XVIII.

Ad Herculem Severolum.

Herculi, mea Musa, fer sodali
Haec bono bona dicta, quod Favonî

Jam tepor rediit, tulitque secum
Dulcis tempora veris. Urbe Roma
Tuus Flaminius relicta agellos
Suos visere cogitat, paterna
Quos domus tua cernit: ipse vero
Quid tandem facies? tumultu in isto
Nimirum remanebis, et clientum
Magnis agminibus premére semper?
O tandem sapias tibi, tuaeque
Vitae consule. Non vides, ut aetas
Labitur fluvii rapacis instar,
Quem nives aluere? quid laboras
Ergo divitias parare inanes?
Cum tantum patrimonii relictum
A tuo tibi sit parente, quantum
Est satis; sine vulgus imperitum
Falsa imagine ludi: at ipse, mentem
Cui Deus dedit expolire pulchris
Artibus, patriam revise caram,
Fratremque unanimem bonosque amicos,
Et dulci fruere otio, libellis
Parvis Virgiliique Tulliique
Mutans magna volumina illa legum,
Quae lassare valent feros gigantes,
Et vires adamante firmiores.

XIX.

Ad Fabritium Brancutium.

O Diem niveum et nimis beatum,
Quo tam suaviter atque delicate
Simul viximus, o venuste amice,
Dum curis procul omnibus fugatis
Dulci colloquio facetiisque
Horas fallimus. Hoc modo poëtae
Ferunt Elysiis pios viretis

Ævum degere. Dî boni ac benigni,
Vos opes aliis date atque honores:
Nobis assidue videre lucem
Hesternae similem, est satis superque.

XX.

Ad Joannem Franciscum Casertam
de Urbis Casertae Agro.

Quid tantis precibus, Caserta, carum
Vocas Flaminium Casertae ad agros?
Te desiderium quidem fruendi
Mei sollicitat; sed ipse tanto
Magis te cupio videre, quanto
Es me amabilior. Quid? ista vestra
Tam felicia, tam venusta rura
Quem non alliciant suo lepóre?
Adde quod mihi reddidere vitam,
Cum vis tabifica intimis medullis
Serpens, lurida membra devoraret.
Istic et mihi Musa tam benigno
Semper numine favit, ut canentem
Stuperent Dryades, meumque pictis
Ornarent Satyri caput corollis.
Quae tellus igitur tuo sodali
Queat gratior esse? nulla certe.
Nec tamen venio, negotiorum
Dura compede vinctus: at venire
Cum primum dabitur, volabo, teque
Revisam et tua rura, amice dulcis,
Non minus cupide, suam puellam
Quam visit juvenis, locum in remotum
Quem coëgerat ire vis paterna,
Siqua forte revinctam amore mentem
Posset solvere filii furentis.

XXI.

Ad Sebastianum Conradum.

Jampridem Stephanus Columna, princeps
Clarus militiae domique, doctum
Quaerit filiolis suis magistrum,
Nec doctum modo, sed pium et venustis
Cultum moribus. Hic labore parvo
Non parvum faciet lucrum; quotannis
Nam sestertia quina consequetur,
Patronumque sibi parabit auri
Magno pondere pluris aestimandum.
Hunc tu si potes invenire, ad Urbem
Statim mitte: peritus, elegansque,
Et vir non malus ille sit, necesse est,
Quem tu judicio tuo polito,
Vir doctissime et optime, approbaris.

XXII.

Ad Laurentium Gammarum.

Quod numen male amicum, amice care,
Hanc mentem tibi misit, ut relicta
Roma, frigore saeviente adires
Ad gentem horribilem trucemque? tu ne
Vates candide, cui Marone digna
Phoebus scribere donat, efferata
Ista in Barbaria morare? quis jam
Neget, sidera celsa posse Olympo
Labi Tartara in ima? at inscientem
Ne malus male perdat error; audi
Quid Phoebus pater, et novem Camoenae
Praedicant tibi: si manere pergis
Istic, ex lepido et bono poëta

Fies Maevius; et tuos libellos
Vitabit lue pejus et veneno
Quidquid est hominum elegantiorum.

XXIII.

Ad Bartholomaeum Riccium.

Ah jam rumpe silentium, jocose
Olim, nunc nimium severe Ricci.
Num tu sic veterum flagras amore,
Ut Tullî puta Caesarisque, vivos
Ut jam pro nihilo putes amicos?
At hoc Tullius improbat, jubetque
Te sui cupidos habere caros,
Nec solum cupidos sui, sed omnes
Quos virtus aliqua probique mores
Adjunxere tibi. Sed heus, amice,
Quid rerum geritur; notare pergin'
Quidquid ad proprie, eleganter, apte
Loquendum valet? id beare lingua
Nos praedivite, id est Latinitati
Suos reddere pristinos honores.
Quare per Ciceronis et Terentî
Manes te rogo, perge, finibusque
Pelle barbariem Italis, Latinae
Linguae te veneremur ut patronum.

XXIV.

Ad Petrum Myrteum.

Te consanguineum meum esse jactas,
Et hoc nomine gratiam aucuparis
Per urbes Italas; meique amici
Dant tibi hospitium pecuniamque,
Quam statim male dissipas. Sed audi,
Mendax Myrtee, cujus et parentes
Ignoro et patriam genusque; si tu

Vir frugi incipis esse temperansque,
Quin fias mihi filius neposve
Non recuso equidem: sed esse pergis
Si nequam et balatro impudens, caveto,
Ausis dicere te meum propinquum,
Ne laesa patientia furentem
Camoenam experiare. Num ferendum est,
Falso nomine te propinquitatis
Meae ad flagitia et dolos abuti?

XXV.

Ad Alexandrum Piccolomineum.

O si dent mihi caelites, ut, ante
Hora quam veniat suprema, vere
Fiam talis, amice, qualis a te
Pulchro carmine pingor! esse talis
Et certe cupio, et laboro: verum
Ad hanc usque diem meo labore
Nihil proficio. Timor, cupido,
Cordis gaudia vana, itemque vani
Dolores magis in dies et horas
Mentem sollicitant misellam. In alto
Sic Notus Boreasque saeva quondam
Miscent proelia. At ipse fluctuantem
Tranquilla, sapientiae serenans
Cor meum monitis, quibus Lycei
Magister nitidi tuum replevit
Ob id pectus, ut ipse mente sana
Ægrotis animis queas mederi.

XXVI.

Ad Augustum Coccejanum.

Sic te, candide amice, nullus unquam
Caelesti Sophiae, patrique Phoebo

Possit carior esse, dic amabo,
Num vere mihi dixit Hadrianus,
Te describere quidquid ipse ludo
Molli carmine per jocum atque risum?
Hoc tu si facis, o nimis beatam
Musam Flaminii! graves, protervi,
Mordaces critici, venena dentis
Vestri nil metuo; quod approbarit
Augustus meus, id probent, necesse est,
Et Phoebus pater et novem Camoenae.

XXVII.

Ad Fernandum Torrem.

Fernande optime, noster hic libellus
Jamdudum cupit ad tuos penates
Ire, quod soleat favere nemo,
Ut tu, versiculis meis, eosque
Tantis tollere laudibus: sed hercle
Si rem judicio tuo eleganti
Aptam vis gerere, arrogantis hujus
Spem falles, calami notans litura
Severe omnia, quae minus Latine,
Aut garrire putabis infacete
Musam putidulam tui sodalis,
Qui te non minus ac suas medullas
Propter eximium tuum lepórem
Amat; sed tamen addet huic amori
Ingentem cumulum, suum libellum
Si tractaveris ut supra rogavit.

XXVIII.

Ad Camillum Rastellum.

Quis haec carmina tam venusta donat
Tibi scribere? non magistra certe

Ars tantum valet, et juventa molli
Vix lanugine vestit ora. Phoebus
Ergo Phoebus, amabili lepóre
Tuo captus, habere dat poëtae
Nomen, numine te, Camille, dulci
Afflans. Sic Maro, sic tuus Tibullus
Ludebant pueri suis Camoenis
Olim carmina digna: sic et Orpheus
Vix primam attigerat tener juventam,
Cum docta fide rivulos morantem
Viderunt Dryades, simulque myrtos
Formosi pueri lyram sequentes;
Qua post et rigidas agebat ornos,
Et fugam volucris tenebat Hebri.
Ergo tu quoque perge; crescet aetas,
Phoebi crescet amor, bonique vires
Crescent ingenii, tuumque fama
Nomen inseret optimis poëtis.

XXIX.

Ad Franciscum Robortellium.

Gratulor, tua vota liberales
Audivisse deos: in urbe vives
Qua nullam neque terra pulchriorem
Nec latum mare fert. Docebis illic
Prolem nobilium, vetusta quidquid
Servant Graeca volumina et Latina
Scriptum puriter, eleganter, apte.
At Canicula cum furit, relicta
Urbe quam mare cingit, ad liquentem
Mesulum properabis, ut tepore
Veris perpetuo fruare. Sicus,
Elegans juvenis, domo venusta
Te laetum excipiet libens: sed aedes
Tui Flaminii simul videbis,

Flens dices; Mihi carior medullis
Meis candide Marce, quid morari
Gaudes tam procul a domo paterna?
Non te nutriit hic tenella mater?
Non hanc ludere per viam solebas
Puer cum pueris? quid ergo dura
Caute durior hinc abes tot annos?
Si quis te deus huc repente sistat,
O quae gaudia, qui forent utrimque
Sermones! age mitte jam querelas,
Robortelli; aderit volens, nec a te
Latum Flaminius recedet unguem,
Dum frui poterit tuo lepóre.

XXX.

Ad Adamum Fumanum de Obitu Violantillae Uxoris Romuli Amasaei.

Invitus tibi dico, Adame; nostri
Romuli periit pudica conjux,
Tam pudica, domusque tam regendae
Sciens, tam sobolis ferax venustae,
Quam facundus, et artium est bonarum
Doctus, qui fuit illius maritus.
Hoc docente bonus poëta factus,
Oratorque bonus, bonum magistrum
Consoleris oportet et soluto
Et juncto pede. Sic levabis aegram
Mentem illius, et eloquentis ipse
Et pii simul assequére nomen.

XXXI.

Ad Marium Savornianum.

Martis deliciae, Minervae amores,
Mari candide, pessimus poëta,

Sed vir sat bonus, ut reor, tuoque
Non indignus amore., amoris ardens
Flamma ob mirificum tuum lepórem,
Cui cedunt reliqui omnium lepóres,
A tua petit hoc benignitate,
Non parem ut tribuas amorem amanti,
Sed ut te patiare amari ab ipso,
Quanto maximo amore ab ullo amari
Potest, qui sit amore summo amandus.

XXXII.

Ad Franciscum Torellum.

O Flos candide Galliae Togatae,
Ante annos animum gerens virilem,
Quid ah quid juvat Urbe abesse? qua Sol
Nihil nobilius videbat olim,
Nec idem videt aut videbit unquam,
Toto quod queat orbe comparari.
Haec te nutriit, haec domo paterna
Tibi carior esse debet; ipsa
Nam te sola capit, tuaeque gestit
Virtuti dare debitos honores.
Quare, si sapis, advola, et cupito
Nos omnes hilara, Torelle, vultu.

XXXIII.

Ad Marcellum Cervinum, et Franciscum Sfondratum Cardinales.

Quod Faërnum, hominem bonum atque doctum
Amo non secus atque memetipsum,
Ejus gaudeo commodis perinde
Ac meis propriis: quod ergo per vos
Summo a principe consecutus ille est

Quidquid ad bene commodeque agendam
Vitam optabat, id hercule obligavit
Me vobis ita, candidi patroni,
Ut devinctior esse nemo possit.
At vos qua pietate jam tueri
Coepistis lepidum meum sodalem,
Eadem pietate, firma ut haec sint
Et perennia dona, providete.

XXXIV.

Ad Bernardinum Maphaeum Cardinalem.

Quantum gaudet amans, suae puellae
Casto conjugio potitus; aeger
Quantum gestit ab imminente fato
Ereptus subita medentis arte;
Tantum Flaminius cliens galero
Gaudet purpureo, Maphaee, summa
Quem virtus tibi tradidit, Deumque
Votis omnibus orat, ampliorem
Ut tibi ferat hic honos honorem.

XXXV.

Ad Albertum Linum.

Quod petis, Line mi venuste, carmen,
Id feci lateris dolore pressus;
Non captans hominum eruditiorum
Plausus, sed venerans Deum, eleganter
Qui dictum putat esse quidquid ore
Pio dicitur. Hoc tibi sequendum
Prudens judicium: at sequi superbos
Si mavis criticos, inelegantes
Versus, quos tibi mitto, non legendi.

XXXVI.

Ad Aloysium Priulum.

Ah cur me lacrimis tuis, Priule
Care, conficis? hoc tuo dolore
Mors mihi fit amara, quam benigno
Deus numine donat esse dulcem.
Una viximus arcto amore juncti,
Qualem Sol radians ab ultimo Indo
Vix cernebat ad ultimum Britannum.
Nos unum studium, una nos voluntas
Fecit unanimes. Nihil placebat
Uni, quin idem amaret alter: una
Nos domus tenuit, alebat una
Mensa: laetitiae, dolor, secunda,
Adversa unius alterum movebant;
Ut nunquam minus hic doleret illo,
Gauderetve. Sed haec prius fuere:
Nunc caeli vocor ad domos beatas,
Ubi me vario labore functum
Manent gaudia sempiterna. Quare,
Si cordi tuus est tibi sodalis,
Pone flebilibus modum querelis,
Et plausu aethereas euntem ad arces
Laeto prosequere, et piam labora
Vitam vivere, mox simul futurus.

XXXVII.

Ad Ranutium Farnesium Card.

Tu ne, Romula quem colit juventus,
Paulli maxima Tertii voluptas,
Et Grajis simul et simul Latinis
Musis care, meam salutem amore
Tanto amplecteris, ut periculosa
Febris et lateris mei dolores

Te semper crucient? misella nato
Sic parens timet unico, fatigans
Fletu numina cuncta pro salute
Dulcis filioli periclitante.
Hoc pium officium tuasque laudes,
Si mors abstineat manum rapacem,
Et Phoebus faveat, tegent tenebris
Nulla saecla. Micabit omne in aevum
Farnesî decus inclytum Ranutî,
Ut pulchro radians Eous igni.

XXXVIII.

Ad Philippum Bonum Pontificem Famaugustae.

O qui nomine, mente moribusque
Es bonus, mihi quam venis cupitus!
Ut te conspicio libenter! ut me
Morbo letifero diu gravatum
Aspectu recreas tuo, tuisque
Gratis alloquiis! tenella virgo
Sic florem aridulum imminente morte
Liberat, gelidum irrigans liquorem:
Sic gaudet patula viator umbra
Aquosi nemoris, siticulosa
Terra iter faciens Canis sub ortum.
O quid carius est beatiusve
Dulci amicitia? mihi periclo
Tanto evadere si dabunt benigni
Caelites, erit ipsa vita cara,
Ut frui liceat bonis amicis.

XXXIX.

Ad Hieronymum Turrianum de Jo. Petro Carapha Card.

Quid piae valeant preces, benignas
Ut Dei penetrent supremi ad aures,

Disce, candide Turriane. Febris,
Et saevus lateris dolor misellum
Tuum Flaminium furore tanto
Invasere, magistra ut ars medendi
Et quisquis levat aegra membra succus
Cedereut: Capiti meo imminebat
Mors nigris tenebris operta: honorem
Supremum mihi funeris parabant;
Infandum veteris sui clientis
Cum casum miseratus ille magnus
Carapha, Italiae decus Carapha,
Ad caelum geminas manus tetendit
Multis cum lacrimis Deum salute
Orans de mea; et ecce acerba fugit
Febris et lateris dolor; refectae
Vires; et teneri mei sodales
Cantu et laetitia graves querelas
Mutarunt lacrimasque. Amice dulcis,
Dic laudes superûm benignitati
Pro vita mihi restituta; et aura
Quod vescor placita, quod alma pulchri
Solis lumina cerno, id omne magni
Acceptum precibus refer Caraphae.

XL.

Ad Sodales suos.

Gaudetis, teneri mei sodales,
Me febri et lateris dolore summo
Emersisse; Dei sed ipse laetor
In primis bonitate singulari,
Qui mentem dederit mihi paratam
Corpus linquere, ne suo rebellis
Pugnarem imperio. Pater supreme,
Tua incoepta secunda, et usque eamdem
Da mentem mihi, nil velim quod ipse

Nolis; nil renuam quod ipse mandes.
Hoc unum, unanimes mei sodales,
Hoc unum ex misero facit beatum.

XLI.

Ad Rodulphum Pium Cardinalem.

Hoc est, magne Rodulphe, liberalem
Esse; dum prope januam rapacis
Orci demoror, et salus miselli
Desperata jacet, benignitate
Summa das mihi fertiles agellos,
Ut laetus moriar, meis relinquens
Tanta munera dulcibus propinquis.
Non non temporis hujus ista virtus;
Virtus Maeonio canenda versu,
Non meis ita deterenda nugis.

XLII.

Ad Michaelem Silvium Card.

O quantum tibi debeo, benigne,
Dulcis, candide Silvi, amabilisque
Quantum quis pote amari! acerba cum me
Febris ureret, et dolor sinistri
Vexaret lateris, meo dolore
Dolebas; meus ignis in medullis
Ingentem tibi suscitabat ignem.
Nec cordi data pax misello, amara
Pestis dum requiem mihi negavit.
O amor, pietasque digna dici
Tuis carminibus, poëta summe!
Nam mihi tenuem nimis dederunt
Musae spiritum: at esse mente grata
Et possum et volo; quare in omne tempus
Me totum tibi dedo, magne Silvi.

XLIII.

Ad Franciscum Sfondratum Card.

Cum noster mihi Carolus referret,
Te dolor lateris meus dolore
Quanto affecerit; et salus, deorum
Mihi munere restituta, quantum
Rursus laetitiae ferat; profecto
Haec tui manifesta signa amoris
Tam meo cecidere grata cordi,
Ut jam letifero fuisse morbo
Vexatum, juvet, et recepta vita
Sit mî carior, esse quam solebat;
Nam virtus tua rara comitasque,
Et Musis animus dicatus almis,
Nec rebus minus acer in gerendis,
Sic mentem afficiunt meosque sensus,
Ut plane videar beatus esse,
Si tuo videor favore dignus.

XLIV.

Ad Nicolaum Rodulphum Card.

Rodulphi, decus omnium bonarum
Artium, tibi gratias habere
Dignas Flaminius nequiret unquam;
Qui cum depositus jaceret, et jam
Mortis cuncta nigrescerent tenébris,
Agri jugera magna cum venusta
Domo ab eximia benignitate
Tua tam facile impetravit. Ergo,
Quod potest, tibi se suamque Musam
Servitute, pater, dicat perenni.

XLV.

Ad Andream Cornelium Card.

Ecce Flaminium tuum clientem
Salvum et incolumem, perire quem tu
Dolebas nimis intimo dolore,
Ut jam nec lacrimas tenere posses,
Nec dulcis tegeret quies ocellos;
Quae tanti facio, graves labores
Ut non poeniteat subisse morbi.
Nimirum tibi sic placere, laus est
Longe maxima, quem genus superbum
Ornat Scipiadum, probique mores
Et fervens amor artium bonarum et
Sacri purpura nobilis galeri.

XLVI.

Ad Ninum Amerinum.

Quod Musis et Apollini venusto
Agis carmine gratias, amice,
Pro vita mihi reddita, nec alter
Est te laetior, haud mihi videtur
Mirum; nam pereunte me necesse est
Bonam partem animae tuae perire.

XLVII.

Ad Bartholomaeum Cavalcantem.

Magna pars animae meae, benignus
Tibi vivere ad ultimam senectam
Sic donet Deus, ut perire dulci
Tuo Flaminio magis molestum
Erat ob nimium tuum dolorem,

Quam dulcedine vitae: et esse mortis
Caeco a limine restitutum ad alma
Solis lumina, id est mihi suave
In primis tui amore, luce cara
Cui sum carior. Haec, amice rerum
Jucundissime, veri amoris expers
Verba dixerit esse blandientis:
At tu nil mage credis esse verum,
Omnes qui superas amore amantes.

XLVIII.

Ad Ludovicum Beccatellum.

Jam jam desine mollibus querelis
Fatigare deos, amice dulcis;
Nam victi citharae tuae canorae
Modis flebilibus mihi negatam
Vitam restituére, quae sub imas
Jam terras fugiebat. Ergo vincis
Docta Calliope satum, misellam
Qui frustra Eurydicen profundo ab Orco
Ad caeli placidas vocavit oras;
Quamvis et volucres teneret Euros
Canendo, Eumenidasque mitiores
Posset reddere bimulis puellis.

XLIX.

Ad Damianum Damianium.

O lux Trinacriae feracis, aegros
Qui jam depositos rapacis Orci
Eripis manibus, diuque sanos
Jnbes vivere, si mihi dedisset
Musa, pro meritis tuas canendo
Laudes dicere, me beatiorem

Nullum Roma videret, et recepta
Tuo munere vita cara, longe
Mihi carior esset: at merenti
Cum dignas nequeam referre grates,
Quod unum superest, Deum rogabo,
Ut sicut tibi prorogare vitam
Humano generi unica est voluptas,
Sic te conjuge cum bona valentem
Sinat vivere plurimos in annos.

L.

Ad Emanuelem Chium.

Nec te, candide Chie, praeteribo,
Qui rursum mihi das habere vitam
Arte Poeonia, salubribusque
Succis, officioque singulari.
Ut pastor rabidi lupi cruento
Agnum deripit ore, sic voracis
Orci faucibus extrahis misellum
Tuum Flaminium Deo juvante.
Quare dum mihi vita, quam dedisti,
Suppetet, nihilo minori amore
Te colam, optimus optimum parentem
Quam natus colit; et suprema quando
Rursus venerit hora, quamquam amara
Potem oblivia, non tamen licebit
Tuae non memorem esse comitatis.

LI.

Ad Federicum Donatum.

Quod spiro, Federice, quod tueri
Datur lumina cara caeli, id omne
Haud parte ex minima tibi libenter
Acceptum refero. Febris furebat;
Necabat lateris dolor; supremam

Horam jam mihi cuncta nuntiabant;
Cum tu, quam dedit ipse Phoebus, arte
Morbum letiferum fugas, ut acer
Spiritus Boreae tenebricosa
Caelo nubila pellit. Ergo vitam
Quam mihi superûm benignitate
Donasti tibi dono, meque totum
Grata mente dico, meosque ad unum
Omnes, qui pereunte me perissent.

LII.

Ad Hieronymum Pontanum.

Quo te nomine dicam, amice care?
An senex juvenem vocem parentem,
Qui febri et lateris dolore pressum
Nunquam deseris, assidens jacenti,
Ut pullis avis? an vocem salubris
Phoebi sanguinem ab imminente fato
Qui me surripis, et valere donas?
Sis quocumque tibi placet, virorum
Humanissime, nomine; esse nullum
In terris modo judices parentem,
Qui plus filiolum sibi suprema
Natum diligat unicum senecta,
Quam te Flaminius suae salutis
Patrem diligit. Hoc, amice dulcis,
Non verum minus est, nitere Solis
Quam lucem, aut tenebris diem fugari,
Cum Nox caeruleo revecta curru
Ocellis hominum irrigat soporem.

LIII.

Ad Julium Saulium

O quantum gemui, venuste Juli,
Cum febris tua membra pasceretur,

Nec finem faceret, diem supremum
Intentans media tibi juventa!
Me tui miserebat et parentis
Carae, qua mulier nec ulla vivit,
Nec vivet melior: misella quantos
Angores tulit audiens jacere
Natum depositum! Sed ecce vestram
Dum vicem doleo, dolor sinistrum
Invasit latus, et siticulosa
Febris incubuit mihi per artus
Furens, ut fera flamma cum vetustam
Silvam corripuit semel, vagatur
Vorans omnia. Nec tamen periclum
Sic me perculerat meum, pericli
Quin tui meminissem: acerbus ergo
Me dolor geminatus enecasset,
Ni Deus miserans utrumque leto
Praesenti eripuisset. Ille nobis
Donat vivere: nos patri benigno
Vitam et omnia nostra consecremus.

LIV.

Ad Federicum Elephantutium.

Quod solet, Federice docte, fama
Mali nuntia latius vagari,
Illam suspicor ad tuas tulisse
Aures, Flaminium jacere febri
Confectum et lateris dolore, nec jam
Ullam spem reliquam salutis esse;
Quo tuo mage nil acerbum amori
Posset accidere. Ergo, mens misella
Ut omnem abjiciat metum, sodali
De tuo accipe nuntium, quod optas.
Et vivo, et valeo bene, profundo
Leti a limine restitutus, et jam

Meas delicias Bononienses
Paro visere, scilicet Lavinum,
Amoenum, nitidum, salubrem agellum,
Ubi te fruar et diu cupito
Tuo dulci et amabili lepóre,
Quo sic afficior, beatus esse
Ut plane videar; videre caros
Cum vultus datur, et tua morantes
Soles condere collocutione.
Quare mî hospitium para diebus
Paucis et simul osculationes
Centum, quae mihi erunt suaviores,
Quam matri tenerae puella pulchra
Quae dat suavia, cum remota ab urbe,
In qua nupta fuit, suos revisit.

LV.

Ad Franciscum Bolognettum.

I, quaeso, mea Musa dulcis, agrum
Citis cursibus ad Bononiensem,
Nuntiumque feras bonum ac beatum
Uni ex unanimis meis amicis
Francisco lepidissimo poëtae,
Quem dolor lateris meus dolore
Tanto conficit, ut cibum misellus
Non possit capere, aut soporem ocellis,
Sed semper jaciat graves querelas
In deos medicosque. Dic, dolore
Pulso letifero, suum valere
Carum Flaminium: ergo et ipse luctum
Tradat Æoliis Notis ferendum
Trans alpes Hadriamve: tum benignis,
Qui vitam mihi reddidere, divis,
Dic, laudes cithara canat Etrusca;
Laudes, quas stupeat gens amica
Illi Tuscia plurimos in annos

LVI.

Ad Jacobum Pactum .

Pacte , candidus ille Bassianus ,
Qui te diligit ut bonum parentem ,
Retulit mihi , te dolore tanto
Affectum ob lateris meum dolorem ,
Ut , si vel tibi filius paterve
Forem , non gravius dolere posses .
Haec dulcissimus ille Bassianus
Cum narraret , amoris excitavit
Tantum ignem mihi in intimis medullis ,
Ut qui te prius unice colebam
Propter ingenium bonum bonosque
Mores , addiderim meo huic amori
Ingentem cumulum , velut pusillus
Ignis cum excidit alto in esculeto
Pastori , frutices rubosque primum
Pascitur , fera deinde flamma crescit
Vagans arboribus , peresa donec
Silva magna resedit in favillas .
Ergo tum probitate me licebit
Vincas , tum varia eruditione :
At vero superare amando , amice ,
Profecto tibi non licebit unquam .

LVII.

Ad Marianum Victorium .

Si qua te , Mariane , cura tangit
Tui dulcis amiculi , fidele
Da mî consilium ; cavebis autem ,
Ne te fallat amor mei videndi .
Ecquid tu veniendum ab Urbe censes

Istuc Flaminio? hic habemus haedos,
Pullos, optima vina, habemus umbras
Hortorum et medicos bonos, meique
Amantes: domus hic salubris, ampla,
Et est hic hominum elegantiorum
Valde copia magna, qui libenter
Me visant male firmum, adhuc atrocis
Morbi relliquiis gravatum. Amice,
Haec tu commoda compares, necesse est,
Cum vestris: mihi deinde quid gerendum
Praescribes; maneam ne in Urbe, ubi aegre
Nec satis bene convalesco; praestet
An vestras latebras adire, qua vix
Humano pede semitam esse tritam
Affirmant aliqui. Tamen quod ipse
Ad me scripseris, id putabo vatis
Ore veridici fuisse dictum.

LVIII.

Ad Vincentium Parpaliam.

Cras, o Parpalia, ut soles, parabis
Elegans mihi prandium, tuisque
Conditum salibus facetiisque;
Nam quo tempore me febris malusque
Tentavit lateris dolor, misello
Nil primoribus ex eo labellis
Fas fuit tetigisse, quod palato
Gratumve acciderct, foretve alendis
Aptum viribus: hinc eas et ipsum
Corpus perdidi, et umbra inanis esse
Jam mei videor. Tuo lepóre
Si tamen dabitur frui, tuisque
Interesse epulis frequenter, aestas
Ante quam veniat propinqua, fiam
Ex macro invalidoque fortis atque

Turdo obesior, uva quem voracem
Diu nutriit aut oliva pinguis.

LIX.

Ad Damianum Damianium.

O vinum tenue, aureum, suave
Instar nectaris! o merum deorum,
Vitae praesidium meae fugacis!
Cedant Paeonii tibi liquores,
Et quidquid remedî salubrioris
Ostendit medicae repertor artis.
Jacebant lateris dolore membra
Semimortua; febris aestuabat,
Ut fornacibus ignis; ipse plantas
Leti limina dura transferebam;
Cum tu languidulos fluens in artus,
Caelestis liquor, et levas dolorem,
Et vitam mihi reddis. Ergo, docte
Damiane, tuum merum, tuamque
Vineam aureoli meri parentem
Dulci carmine concinam, recepta
Vita dnm superat mihi; et rogabo
Votis assiduis Deum quotannis,
Ne venti pluviaeve siccitasve,
Aut vis grandinis improbive fures
Laedant aureoli meri parentem.

LX.

Ad suavissimum Sodalem suum.

Tu ne versiculos tuos sepulcro
Meo scalpere, amice, cogitabas?
Me vivum potius vorent rapaces
Lupi, quam mea mortui graventur

Tuis versibus ossa. Non Typhoeum
Sic vastum Inarime premit, nec Ætna
Furentem Enceladum, mei miselli
Manes ut premerentur a tuarum
Pondere intolerando ineptiarum.
Quare dîs ago gratias, dederunt
Qui, vita mihi reddita, periclo
Tanto evadere: teque per vetustum
Nostri foedus amoris oro, amice,
Si quid acciderit mihi, priusquam
Ipse mortem obeas, tuis molestis
Nugis pestiferisque putidisque
Ne vexes miserum meum sepulcrum.

LXI.

Ad Basilium Zanchum.

Judex candide carminum meorum,
Alterum tibi mitto nunc libellum,
Lectum nemini adhuc: sed ipse amorem
Per nostrum veterem rogatus illum
Et leges relegesque diligenter,
Notans quidquid inesse judicabis
Aut dictum illepide aut parum Latine.
Quin igni dabis omnia, igne digna
Si lusisse putabimur; nec illa
Vel assis facio, tibi videntur
Si delenda; nec ulla criticorum
Formido maledicta, si probantur
Tuo judicio. Vides, sodalis
Bonus quam tibi fidat: ipse contra
Verba singula ponderabis; idque
Non solum mei amore, sed quod error
Quisquis commacularit hunc libellum,
Famam aeque violabit utriusque,
Judex candide carminum meorum.

LXII.

Ad Somnum.

Huc ades, o bone Somne; veni, dulcissime Somne,
Et mea furtivâ lumina claude manu.
Somne, veni: en volucres tibi dulcia carmina dicunt;
Invitat placido te vaga lympha sono:
Te violae et lilia pulchra tuumque papaver,
Teque vocant plenis Cressia vina cadis.
Nec tamen ipse venis. Quidnam, mitissime rerum,
Jam surdum precibus te facit esse meis?
Non ego vel foedo maculavi crimine vitam,
Vel populi mores et malefacta sequor.
Si nescis, ego sum Musarum, Somne, sacerdos:
Nutriit in tenero me pia Musa sinu,
Et citharam dedit. Hos dulces tibi condere versus
Jam meditor; propere tu modo, Somne, veni.
Ni properas, leti sopor ingruit et mea saevus
Lumina perpetua fundere nocte parat.
Ergo age, Somne, gradum celera, ne fama vagetur,
Immeritum culpa me periisse tua.
Nam si nulla meae tangit te cura salutis,
At parcas famae, si sapis, ipse tuae.

LXIII.

Ad Marcum quemdam.

Jam luculenta, Marce, pecunia
Tumultuosum per mare cursitans
Quam comparasti, disce tandem
Disce, precor, sapienter uti.
Nam congerendis divitiis modus
Hic esse debet, pauperiem ut tibi
Tuisque liberis repellens,
Laetus agas superest quod aevi.

Ergo relictis navibus et mari
  Ad tuta ruris te refer otia :
  Insanientis et procellae
  Dirum alii paveant furorem .
Quis non benignae culta nitentia
  Terrae minaci praeferat Hadriae ?
  Quis candido gregi catervas
  Comparet horribiles natantum ?
Quod si lucellum te capit ; et sua
  Sunt lucra gnavis agricolis : pecus,
  Saltusque et arva diligenti
  Sunt domino bene fructuosa .
Nam terra mater reddere diligit
  Magno colenti semina foenore ,
  Ni tu recusas illam aratro
  Assiduisque juvare rastris .
Est hic agellus villaque collibus
  Fundata amoenis , quam liquidi ambiunt
  Fontes , et arcens umbra opaca
  Silva Canis orientis aestum .
His tu coëmptis incipe tempora
  Post longa tandem vivere , conjugis
  In dulcis amplexu daturus
  Laetam animam veniente leto .

LXIV.

Ad Stephanum Saulium .

Ne tu beatum dixeris , optime
  Sauli , superbo limine civium
  Qui prodit hinc et hinc caterva
  Nobilium comitante cinctus ;
Non si feracis occupet Africae
  Quidquid praealtis conditur horreis ,
  Gemmasque lucentes et auri
  Possideat rutilos acervos .

Nec ille felix, qui valet omnium
Caussas latentes cernere, sidera
Notare doctus, et profundas
Ingenio penetrare terras.
Sed tu beatum jure vocaveris,
Qui mente pura rite Deum colit,
Ejusque jussa ducit amplis
Divitiis pretiosiora.
Non ille vulgi gaudet honoribus,
Sed carus ipsi Numinis est honos;
Pro quo tuendo non recusat
Dedecorum genus omne ferre.
Quin et relictis coetibus urbium
Mens ejus altum transvolat aethera,
Deique summi caelitumque
Colloquio fruitur beato.
Caelestis ergo jam sapientiae
Plenus, periclis altior omnibus
Quiescit in Deo, furentum
Despiciens hominum tumultus.
Sic proeliantes aequore turgido
Ventos reducto montis in angulo
Miratur, et gaudet procella
Terribili procul esse pastor.

LXV.

Ad Donatum Rullum.

Quis cuncta possit, Rulle, pericula
Motusque mentis dicere turbidos,
Qui saevientis instar undae
Nos variis agitant procellis?
Hinc proeliatur sollicitus timor,
Hinc spes bonorum credula: gaudium
Nunc tollit alte, nunc doloris
Dejicimur furibundo ab aestu.

Non sic benignus caelicolûm pater
  Humana finxit corda: sed insolens
  Nos fastus ad tumultuosa
  Haec freta praecipites adegit.
Cum vita nullis ante laboribus
  Turbata cunctis afflueret bonis,
  Nec mortis occurrens imago
  Cor trepido quateret tumultu.
Quod ergo tantis auxilium est malis?
  Ecquid Platonis docta volumina,
  Cultique praeceptor Lycei
  Sollicitam recreare mentem,
Modumque curis figere tristibus
  Possunt? vel auri perpetuo fluens
  Rivus? vel in sublime tollens
  Per titulos popularis aura?
Fomenta sunt haec prorsus inania,
  Luduntque falsa vulgus imagine,
  Vulgique primores acuti
  Viribus ingenii tumentes.
At tu, beatam ducere si cupis
  Vitam periclis liber ab omnibus,
  Adhaereas Deo, piaque
  Mente sacrum venerare Numen.
Hinc hauries veram et sapientiam,
  Verumque honorem et divitias, ferus
  Quas nec tyrannus, nec tremendi
  Vis rapiat truculenta belli.
Quidquid bonorum cernitur uspiam
  Hoc fonte manat; quo sine, quis, licet
  Terrasque caelitumque regna
  Possideat, miser usque vivet.

M. ANTONII FLAMINII

CARMINUM

LIBER SEPTIMUS

CONTINENS

PARAPHRASIM

IN TRIGINTA PSALMOS

ALEXANDRO FARNESIO

CARDINALI AMPLISSIMO

M. ANTONIUS FLAMINIUS

S. P. D.

Memini, Amplissime Farnesi, nonnullos, et illos quidem non indoctos, cum ego Davidem inter Poetas praestantissimos numerarem, vehementer mirari solitos, neque adduci unquam potuisse, ut hoc meum judicium approbarent. Quod quidem ego ea re fieri existimabam, quia Davidis carmina, quae de Graeco vel Hebraeo leguntur, expressa, sua verborum elegantia, suisque numeris carent. Quocirca mihi non semel in mentem venerat tentare, possent ne ea Latinis versibus illustrari; verum id ne facerem, magnitudine negotii, et imbecillitate valetudinis deterrebar. Cum vero postea gravioribus studiis occupatus, poeticis exercitationibus plurimam salutem dixissem, multo etiam magis eam cogitationem abjeceram; hoc autem tempore nihil minus a me praestari posse judicabam; jam enim octavus annus est, cum ego non versus modo facere desii, sed ne Poetam quidem ullum Graecum, vel Latinum legi; ut minime dubitandum mihi fuerit, quin ipsa, siqua tamen unquam fuit, in me orationis poeticae facultas, penitus exaruisset. Verum superioribus diebus cum tu per litteras id a me postulasses, quod ego, quamquam nihil magis cupiebam, efficere non potui, dubitaremque, ne tibi, cui singularem quamdam observantiam, et omnia maxima studia debeo, ea res offensionem aliquam, aut commutationem

voluntatis attulisset, tantam ex ea suspicione molestiam cepi, ut a me Elegiam subito magnitudo doloris expresserit; quam statim ad te misi, nonnullam spem habens fore, ut hoc munusculum, qualecumque esset, me tecum, si forte alienior factus fores, reduceret in gratiam. Eam Elegiam cum legisset Aloysius Priulus, vir summa mihi necessitudine conjunctus, quin tu, inquit, mi Flamini, quando hujusmodi versus tam subito fundis, aliquot ex Hymnis Davidis hac eadem scribendi ratione exornas, et tuorum carminum decumas Deo consecras? multaque alia in hanc sententiam; quibus vir pius, et litterarum divinarum amantissimus recusantem et huc atque illuc tergiversantem ita ursit, ut tandem his viginti noctibus triginta Psalmorum paraphrasim versibus confecerim, plurium certe confecturus, si per valetudinem mihi licuisset. Ut enim tecum pro tua singulari humanitate loquar familiariter, illud scire debes, ita rationem ingenii mei comparatam esse, ut non nisi de nocte in tenebris versus ego facere possim; ut mihi aut hac exercitatione penitus abstinendum sit, aut certe vigilandum. Ex qua quidem re etiam factum est, ut breviores quosque Psalmos oratione illustrandos susceperim; quippe qui longo usu doctus exploratissimum haberem, (quae ingenii mei est intemperantia) quemcumque Psalmum aggressus forem, non intermissurum, quoad illum ad finem usque perducerem; id quod profecto sine magno vitae periculo in Psalmis longioribus facere non potuissem; lux enim meditantem fere semper oppressisset. Ceterum cum ipse mecum cogitarem, te magna ex parte occasionem dedisse, ut ego hoc opusculum confecerim, omnino faciendum existimavi, ut ipsum ad te potissimum mitterem, praesertim cum et tu, quemadmodum juvenem litteris elegantissimis expolitum decet, poetarum lectione delecteris, et ego maximis tuis beneficiis obligatus, omni studio contendere debeam, ne videar ingrati animi

vitio laborare. Accipies igitur hoc parvum munusculum versibus concinnatum; qui si spiritum, et magnificentiam orationis Davidicae minus exprimere videbuntur, non me tamen laboris mei valde poenitebit: confido enim fore, ut aliquis alius exemplo meo provocatus, quod ego fortasse parum feliciter conatus sum, id ipse, Deo juvante, summa cum laude perficiat. Vale. Tridenti. Pridie Nonas Februarias.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER SEPTIMUS
CONTINENS PARAPHRASIM IN XXX. PSALMOS

In quibus Hebraeorum numerationem sequitur.

Dum nigra jucundos per languida membra sopores
Nox irrigat mortalium,
Tu mecum tacitis Hymnos meditare sub umbris
Cantu Latino, barbite
Jesseo quondam heroi modulate; tyranno
Qui sive pulsus a fero
Montibus in solis erraret, sive reversus
In patriam ditissimas
Urbes et latos populos ditione teneret,
Noctes diesque maximo
Caelicolûm regi laudes cantare solebat.
At vos, beati caelites,
Est tutela quibus vatum commissa piorum,
Adeste, quaeso, dexteri;
Et quaecumque Syros docuit rex optimus olim,
Per Italas urbes lyra
Dum memorare juvat, facilem concedite cantum,
Rebusque dignum maximis.

DE DAVIDE JUDAEORUM REGE.

Eram paterna abjectus in domo puer.
Cunctisque fratribus meis

Minor pusillum in monte pascebam gregem.
  Hic ego sub umbris arborum,
Dum laeta tondet gramina pecus, maximi
  Laudes canebam Numinis,
Sonora tangens fila citharae, quam meae
  Parvae laborarant manus.
At ille sanctus caelitum rex et pater,
  Qui summa tangit fulmine
Corusco, humoque gaudet ima tollere,
  Suum repente nuntium
Ad parva misit tecta, qui meum sacro
  Liniret unguento caput.
Abjecit ille viribus praestantia
  Fratrum meorum corpora;
Nec forma quidquam profuit, nec asperis
  Spectata virtus proeliis.
At ego pusilli parvulus custos gregis
  Ad regium decus efferor.

PSALMUS I.

Docet, pios ac legum divinarum studiosos et amantes, beatos exsistere; contraque, omnes improbos et Dei contemptores miseros esse.

Beatus ille, qui nec audit impios,
  Nec perseverat improbus
Peccare, nec laetatur irrisoribus
  Se pessimis adjungere;
Sed mente pura diligit leges Dei,
  Illasque semper cogitat,
Seu nox sopore amabili, seu lumine
  Sol candido terram irrigat.
Qualis perennes orta propter rivulos
  Arbor feraces ramulos
Ornat quotannis fructuum laetissima
  Pulcherrimorum copia,

Suumque honorem servat omni tempore
  Densis amicta frondibus;
Talis piorum est vita, talis omnium
  Colentium leges Dei.
Hi quidquid unquam molientur, exitus
  Illo favente prosperos
Habebit. Haud sic improbi, sed pulverem
  Ut turbo late disjicit,
Sic jactat illos impetus libidinum,
  Nulloque consistunt loco.
Ergo supremi judicis cum venerint
  Tribunal ad justissimum,
Caussa cadentes, a bonorum candida
  Turba procul, miserrimi
Trudentur ima in Tartara; quoniam Deus
  Mores piorum diligit:
At turpiter qui vitam agit, cruciatibus
  Nunc sempiternis afficit.

PSALMUS III.

Queritur de rebellione populi, et spe divini auxilii animum suum confirmat.

Pater beate, quid esse caussae existimem,
  Cur impio bello furens
Me persequatur immerentem civitas?
  Meam salutem perditam,
Et derelictam populus a tua, pater,
  Benignitate praedicat.
Sed quisque quod lubet loquatur, tu decus,
  Certumque praesidium meum es.
Nunquam fidem tuam pia invoco prece,
  Quin vocibus dexter meis
Aures benignas praebeas, et supplici
  Optata dones omnia.
Ergo quieta mente utramvis dormiam
  In aurem, et hostium minas

Ridebo vanas: nullus nllo tempore
  Belli tumultus, aut ferox
Me proeliorum territabit impetus;
  Non si trecentis militum
Me vallet hostis millibus, et undique
  Mortem minentur omnia.
Exsurge, vindex scelerum, et hostium feram
  Compesce vim crudelium,
Qui saepe saepiusque me gravissimis
  Jam liberasti casibus.
Tu perdidisti Saulem et omnes impios,
  Qui belluarum immanium
Instar salutem et sanguinem meum hiantibus
  Saevi appetebant faucibus.
Solus salutem, solus, o dulcissime
  Pater, bona omnia sufficis:
Solus colentibus pie numen tuum
  Æterna donas gaudia.

PSALMUS VI.

Existimant, Davidem fecisse hos versus, cum in morbum et gravissimas calamitates incidisset ob stuprum Bersabeae illatum, et maritum ejus crudeliter interemptum.

Ne, quaeso, Domine, me tuus furor opprimat,
  Neve ira saeviat tua:
Sed qui pater mihi es, paterna filium
  Severitate punias.
Miserere, Domine, jam mei, jam tristibus
  Aurem querelis admove;
Nam dira morbi vis misellum conficit:
  Me vita destituit mea.
Et tu quousque differes opem tuam
  Meae salutis negligens?
Quousque vultum iratus avertes tuum?
  Tuo benigno lumine
Meos dolores intuere jam, pater,
  Malisque tantis eripe.

Quid me, oro, morte rapere tam cita juvat?
Ecquid sepulcro conditus
Tui memor ero? ecquid tuas amabili
Cantabo laudes carmine?
Si caede me, et lectum meum libidine
Contaminavi sordida,
At lacrimarum me, meumque lectulum
Lavabo largo flumine:
Me nulla nox, me nulla lux in posterum
Non lacrimantem viderit.
Quamquam satis superque supplicii datum est;
Maerore jam contabui,
Fletuque fessa perdidi jam lumina,
Peccata perditus mea,
Injuriasque meorum acerbas hostium
Dum flere nunquam desino.
Recedite procul, impii, recedite
Malas in oras; nam Deus
Suspiriis, lacrimisque motus est meis,
Dominus pias preces meas
Benignus audivit, salutem supplici
Donavit optimus pater.
Ergo erubescant, et dolore pessimi
Rumpantur hostes, et meae
Felicitati quisquis invidet, procul
Fugiat metu perterritus.

PSALMUS XI.

Colloquitur cum amicis, qui fugam ipsi suadebant, ne per insidias a Saule circumveniretur: quibus ille respondet, rerum omnium moderatorem et dominum esse Deum, neque sine ejus providentia quidquam geri ab hominibus; quare innocentes bono animo esse debere, improbis autem certam perniciem exspectandam esse.

Deo mea spes nititur; quid dicitis,
Vestris ut avolem procul

A montibus? misella sicut avicula,
  Quam saevus accipiter feris
Adurget unguibus, fame rabida furens.
  Quia hostis ecce barbarus
Arcum tetendit jam, suas ut imbuat
  Tuo sagittas sanguine;
Et dissipatis legibus, miseris nihil
  Ad spem salutis linquitur.
At ego quid egi, cur meam vitam mihi
  Auferre tendat impius?
Sed praesidet templo Deus sancto, Deus
  Caelum beatus incolit:
Hinc perspicaci cuncta lustrat lumine
  Rerum omnium arbiter parens,
Sua ût potente dextera bonos juvet,
  Malosque justus puniat.
Explorat ille saepe rebus asperis
  Pios, ut aurum fervidus
Explorat ignis, opprimi tamen vetat:
  Contraque tempus ad breve
Florere permittit malos, cruciatibus
  Quos deinde longis afficit.
Quapropter hostis impius nisi jam suo
  Ponit furori terminum,
Praedico, funditus peribit obrutus
  Igne, procellis, sulphure;
Namque aequus aequitatem amat Deus, et pios
  Placido intuetur lumine.

PSALMUS XII.

Queritur de moribus saeculi sui depravatis; Deo supplicat pro salute piorum, qui ab improbis vexantur: ipsum Deum inducit loquentem, et opem suam pollicentem.

Benigne caelitum pater, serva, obsecro,
  Opemque fer; paucissimi

Nam sunt, quibus confidere, ac possim meam
  Tuto salutem credere.
Mendacio jam pulsa turpi veritas
  Recessit alma ab urbibus,
Fidesque, sanctusque pudor et soror illius
  Sinceritas amabilis.
Quod si quis unquam blandiatur, et omnia
  Loquatur ore dulcia,
Tu vero ab illo tibi potissimum cave.
  Te, lingua blanda, ab improbo
Avellat ore praepotens rerum Deus:
  Tu, magna qui semper loqui
Gaudes, eum iratum, tuaeque vindicem
  Linguae protervae sentias;
Tu qui furore percitus, Lingua mea
  Opes mihi et potentiam,
Dicis, parabo; liberum os gero, et geram
  Semper; quis imperat mihi?
At haec nefandus dum nefaria evomit,
  Caelestium rex maximus
Orationis impiae superbia
  Commotus, Exsurgo jam, ait,
Exsurgo, jamque opem salutarem affero
  Benignus afflictis: mihi,
Qui vexat illos, impius poenas dabit.
  Sincera verba Numinis,
Auroque puriora sunt purissimo,
  Quod igne saepe ac saepius
Purgavit artifex, monile regio
  Sponso laborans nobile.
Tu gente nos ab impia, rex optime,
  Servabis, et clementiae
Scuto tuae firmissimo tela hostium
  Longe repelles omnia.
Tuti vagantur improbi, et bonis malam
  Pestem dolosque comparant,

Contaminata mente cum vir urbibus,
  Servire dignus, imperat.

PSALMUS XIII.

Vir sanctus magnis ac diuturnis calamitatibus vexatus vicem suam miseratur, et auxilium Dei queribundus implorat.

Quousque, Domine, linquor in tantis malis?
  O columen, et salus mea,
Quousque pergis esse non memor mei?
  Dic, oro quamdiu dies,
Noctesque lacrimis madebo, et anxius
  Deliberando distrahar?
Quousque supplicem tuae clementiae
  Crudelis hostis opprimet?
Aures tuae satis diu, pater, a meis
  Abhorruere questibus:
Satis superque vultus aversus tuus
  Omnem mihi lucem abstulit.
Jam, quaeso, jam candore luminis sacri
  Meas tenebras dissipa,
Ne forte durus mortis obrepat sopor,
  Dum nulla donatur quies.
Ne, quaeso, ne amplius in mala insultans mea
  Triumphet hostis gaudio.
Sed quamquam ab omnibus misera salus mea
  Projecta sit mortalibus,
Bonam tamen spem non ego abjiciam, tuae
  Nitens opis fiducia.
Pater beate, maximas tibi gratias
  Ago, tuum qui supplicem
Tam dexter audis, et malorum fluctibus
  Tantis benignus eripis.
Jam jam querelas flebiles, suspiria
  Jam pono laetus tristia,

Et fonte quidquid carminis fluet meo,
Pater, tibi omne consecro.

PSALMUS XV.

Praecipit genti suae, quam vivendi rationem sequi debeant, ut Deo cari sint, et sublato omni exterorum metu finibus patriae securi conquiescant.

Pater supreme, quis tuum templum incolet?
Dic, oro, monte quis acquiescet in tuo?
Qui purus omni a labe justitiam colit,
Qui diligenter curat, ut mentem mala
A cogitatione servet integram,
Nec immerentes ore vexat improbo,
Nec alteri nocere solummodo cavet;
Sed si quis ullum laedat, auxilio venit,
Injuriamque prohibet. Hic malum, licet
Ditissimum, licet potentem, negligit;
At quos amantes viderit Deum, colit,
Veretur, observat, loco quamquam infimo
Jacere cernat rerum egentes omnium.
Nec, si quid unquam juret, unquam pejerat.
Non ille foenori pecuniam daret,
Illamve reciperet, licet pauperrimus,
Ut innocentes opprimat, vel maximam.
Qui servat haec, immobilis semper manet,
Deoque carus vivit, et mortalibus.

PSALMUS XXIII.

Gloriatur, se ac sua omnia Deo curae esse: et demonstrat, quam beati sint ii qui juste cum fide ac pietate vitam degunt, et sese in servitutem Deo dicant.

Rex caelitum est pastor meus;
Nihil boni deerit mihi.

Uberrimis in pascuis,
Amoena propter flumina
Me spiritus sanctissimi
Aura beata recreat,
Dulcique mentem pabulo
Nutrit suae scientiae.
Miserrimus animus meus
Dum longius abit a Deo,
Erraverat procul a via,
Quae ducit ad caelestium
Oras beatas. At Deus
Meae misertus miseriae,
Benignitate maxima
Quaesivit illum ultro, et sui
Reduxit ad caulas gregis.
Si sola solus per loca
Inermis eam, ubi plurima
Imago mortis territat,
Interritus perrexero,
Custode securus Deo.
Me virga, pastor optime,
Coërcet errantem tua:
Ne gravius offendar cadens,
Tuo bacillo fulcior.
Me mensa roborat tua,
Me dulcis exhilarat calix
Tuus: oleo foveor tuo.
Nec me, pater dulcissime,
Per has inexplicabiles
Vias euntem deseres
Unquam, sed ad tuam domum
Duces, ubi vita fruar
Et sempiterno gaudio.

PSALMUS XXX.

Gratias agit Deo, gravissimo morbo liberatus.

Te semper efferam, pater sanctissime,
  Cantu meorum carminum,
Qui me tenebris inferorum, et horrida
  Leti extulisti janna.
Tua benignitate perfectum est, meis
  Ne risus hostibus forem.
Domine, pia prece invocatus tabido
  Morbum expulisti corpore.
Jam jam sub imas ire terras coeperat
  Maerens anima, jam nexibus
Soluta cari corporis dulcissimas
  Linquebat oras aetheris;
Cum restituta vivere, et jussa est frui
  Lucis cupito munere.
Adeste, castae virgines, homines pii,
  Adeste; mecum laudibus
Deum benignum tollite, agite gratias
  Quantas potestis maximas,
Incomparabili illius clementiae.
  Ut vere nimbus uvido
Vix ortus evanescit, Aquilonis feri
  Si spiritus supervenit;
Sic ira sancti Numinis brevissima est:
  At illius benignitas
Semper salutem, semper hominibus piis
  Sincera praebet gaudia.
Quod si quid unquam incommodi intervenerit,
  Deo favente celeriter
Multiplicatis commodis rependitur.
  Verum ipse victis hostibus,
Et constituta pace, cum mihi omnia
  Feliciter succederent,

Demens ad hunc modum loquebar : Nulla vis
Me , nulla jam potentia
Dejicere poterit hoc statu rerum optimo .
Tu scilicet regnum meum ,
Measque fortunas ita stabiliveras ,
Ut montis instar omnibus
Habere visa sint . At hoc nulla mihi
Virtute contigerat mea ,
Sed liberalitate maxima tua :
Quod ne mihi ignotum foret ,
Illamque stultam opinionem ut ponerem ,
Paullisper aversus mihi
Memet reliquisti , Domine ; suntque illico
Mutata versaque omnia .
Tum lacrimans , vocesque lamentabiles
Fundens , quid , inquam , maxime
Rex caelitum , quid vita proficiet mea
Restincta morte tam cita ?
Ecquid sepulcro lingua condita poterit
Cantare nominis tui
Laudes ? tibive docta dextra psallere ?
Ne , quaeso , supplicis tui
Novissimo in casu precem contemptam habe ,
Sed pestilentem corpore
Depelle morbum de meo . Sic lacrimans
Orabam : at ipse tristibus
Aurem querelis admovens , pro lugubri
Macrore laeta gaudia ,
Pro foeditate vestium squalentium
Vestem dedisti candidam .
Itaque tibi ingenium meum et studia mea ,
Meamque vocem consecro :
Semper tibi laudes cithara dicet mea ,
Semper tuam clementiam
Cantabo , semper gratias tibi maximas
Agam , pater sanctissime .

PSALMUS XLII.

Exponit, in quanta sollicitudine, ac dolore esset, cum Hierosolymis ejectus a Saule, neque templum augustissimum cum reliquis civibus celebrare, neque sacrificiis solemnibus interesse posset.

Ut cerva fontem anhela quaerit anxie,
Quam vis canum sagacium
Vexavit, urit arva dum Sol igneus;
Sic te, pater dulcissime,
Desiderat anima mea, cor meum tuam
Sic expetit praesentiam.
O si nivea lux illa fulgeat mihi,
Cum liceat ad templum Dei
Adire, et hymnos Numini augustissimo
Cum gente sancta dicere!
Noctes diesque lacrimae tristissimae
Fuere pro cibo mihi,
Dum continenter sciscitantur impiae
Gentes, Deus meus ubi sit.
Cur ille, dicunt, exsulem servum suum
Tantis relinquit in malis?
Jam fracta virtus ponderi succumberet
Rerum asperarum, nisi bona
Fulciret illam spes, et animum reficeret
Jucunda cogitatio,
Nimirum adhuc tempus fore, cum ad amabilem
Redibo laetus patriam.
Tunc me meorum multitudo civium
Immensa gratulantium
Templum Dei deducet ad sanctissimum:
Tunc civitas clamoribus
Faustissimis sonabit, omnia tinnulis
Late sonabunt plausibus.
Ergo bona tibi tanta, o anima mea, a tuo
Promissa cum scias Deo,

Cur non dolori jam modum figis? mihi
  Cur omne tollis gaudium?
Committe jam, committe praesentissimo
  Tuam salutem Numini;
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
  Agemus illi gratias.
Haec saepe mecum colloquor: sed intimis
  Resurgit in praecordiis
Quandoque tanta vis doloris anxii,
  Vix ut queam resistere.
Quapropter ad tui memoriam nominis
  Amabilem saepissime
Recurram, o unica spes mea, o lux et salus,
  Carumque solamen meum:
Dulcescet illâ amaror omnis; et animo
  Illa eluet curas meo.
Quamquam paterna sum fugatus a domo,
  Vastasque solitudines
Jordanis, aviosque saltus Hermoni,
  Inhospitalem et Mizarum
Exsul peragro, rerum egenus omnium,
  Nunquam tamen tui, pater,
Non meminero, nunquam effluet animo meo
  Dulcissimum nomen tuum.
Eheu dolorem urget dolor, neque ulla fit
  Laboris intermissio.
Ut densus imber, visque saeva grandinis
  Ingente glomerati agmine
Cum turbulento decidunt ex aethere,
  Magnis et omne motibus
Caelum quatit tonitruum horrisonus fragor,
  Sternuntur agri, sternitur
Seges virescens, rura plenis omnia
  Natare fossis rusticus
Miratur; heu tali, pater, miserum agmine
  Gravium malorum usque obruis.

Sed tu serena placidus intueberis
  Me fronte tandem, et candida
Lux pellet horridas tenebras: interim
  Manente nocte desinam
Laudes tibi nunquam canere, numen tuum
  Nunquam precari desinam.
Dicam tibi flens, O salus, o lux mea,
  Cur tamdiu immemor es mei?
Cur lacrimis, dolore, luctu maceror,
  Dum vexat hostis barbarus?
In frusta corpus omne concidunt meum,
  Et me miserrime enecant,
Dum continenter sciscitantur impiae
  Gentes, Deus meus ubi sit.
Cur tristis es, anima mea? cur nunquam mihi
  Per te licet quiescere?
Committe jam, committe praesentissimo
  Tuam salutem Numini;
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
  Agemus illi gratias.

PSALMUS C.

Hortatur omnes mortales, et praecipue Judaeos, ut memores sint beneficiorum Dei, qui nos creavit, regit, ac tuetur, ut nunquam intermittendae sint gratiarum actiones.

Urbes et agri, cantibus
Sonate, laeta maximo
Servite mente Numini:
Laetis adite plausibus
Ad atria ejus aurea.
Ipse, ipse verus est Deus,
Terrae polique conditor;
At ceterarum gentium
Non dii, sed aurum et marmora.

Tu nos, pater sanctissime,
Tua benignus dextera
Finxisti: oviculae nos tuae
Sumus: tuae scientiae
Dulcissimo nos pabulo,
O pastor optime, nutriens
Æterna donas saecula
Vitam beatam ducere.
Ergo Deum canamus, o
Viri, et pudicae feminae:
Viri, et pudicae feminae,
Adite sancti jannas
Templi sonantes dulcia
Carmina. Sonent late omnia
Nomen Dei sanctissimum;
Nam dulcis, et rerum omnium
Amabilissimus est Deus.
Absumet ignis sidera,
Tellus peribit; at Dei
Mirabilis clementia,
Et veritas semper manent.

PSALMUS CXIII.

Hortatur ad hymnos canendos Deo, praedicans ejus potentiam, et providentiam misericordiae plenam.

Adeste castae virgines, pueri integri,
Adeste, mecum laudibus
Efferte nomen Numinis sanctissimi.
Dum Sol per oras aetheris
Cursu volubili rotabitur, diem
Ægris ferens mortalibus;
Minora dum micabit inter sidera
Luna occidente jam die,
Ab Indo ad ultima Britanni litora
Illustre sit nomen Dei.

Non universis ille tantum gentibus
  Sua imperat potentia,
Sed caelites, caelique supra maximum
  Se tollit altus verticem.
Hinc pater acuto cuncta lustrat lumine:
  Non stellifer quidquam polus,
Non alma quidquam terra continet, neque
  Pontus eam circumvagus,
Nil pandit aër liquidus, occultat nihil
  Crassa inferorum obscuritas,
Mortalis nllus denique nihil pectore
  Servat profundo conditum,
Quod ille rector maximus caelestium
  Non cernat omni tempore.
Ipse et potentes, mente inani lucida
  Perambulantes sidera,
Vindex ad imos usque trudit inferos;
  Et pauperes in infimo
Gradu jacentes principum in solio locat
  Sua benignus dextera:
Ipse et pudicam liberorum garrulo
  Hilarat puellam examine,
Quae prole sine dulci diu in tristissimo
  Maerore vitam traxerat.

PSALMUS CXIV.

Hymnus est elegantissimus, in quo celebrat prodigia quae Deus edidit, cum Hebraeos ab Aegypto traduceret in regna Cananaeorum.

Cum liberata servitute barbara
Judaea gens Ægyptiorum finibus
Exiret, illamque Deus ipse duceret,
Fugére fluctus aequoris perterriti,
Jordanis unda retro fugit, et stupens
Gens illa vidit exsilire maximos

Montes, ut agni prata per virentia
Saliunt novelli, lacte dulci ebrii.
Quid accidit, mare, tibi, cur perterritum
Fugeres? ocelle fluminum, quid accidit,
Cur pavidus ad fontem recurreres tuum?
Vos, quaeso, montes maximi, quid impulit
Inusitatis exsilire motibus?
Sensere magni Numinis praesentiam
Montes et unda fluminis et altum mare;
Sensere dura saxa solitudinum,
Cum bis ea fontes verteret in uberes.

De inscriptione quindecim Hymnorum, qui sequuntur.

Ter quinque, qui sequuntur, Hymni, Cantica
Graduum vocantur; istiusque nominis
Quae vis in isto sit loco, jam plurimi
Interpretantes protulere plurima;
Sed illa sic incerta, fabulosaque,
Ut ipse malim confiteri libere,
Nescire me, quod nescio. Tu, candide
Lector, quod istis continetur Canticis,
Dum diligenter explicamus, obsecro,
Attentum animum adhibe, tametsi inscriptio
Quid ipsa sibi velit, explicare non datur.
Nam totque tantaque poteris cognoscere
In his poëtae versibus sanctissimi,
Vitam beatam maxime attingentia,
Ut curiosus sis licet, animo tamen
Æquo ferendum sit, quod unum hoc nescias.

PSALMUS CXX.

Queritur vir sanctus, se patria pulsum inter homines improbos et fraudulentos vitam agere.

Oppugnat hostis impius caput meum,
Measque fortunas: ego

Contra piarum me tegam scuto precum;
  Nam vocibus dexter meis
Aures amicas admovet semper Deus,
  Ut filio dulcis pater.
A viperino dente, acerbo a vulnere
  Oris dolosi, Domine, me
Defende, saeva lingua ne vitam mihi
  Suis venenis auferat.
Dolosa lingua quem tibi fructum feret?
  Quid turpibus mendaciis
Lucrabere praeter odium Dei, miser,
  Et omnium mortalium?
Qualis sagitta milite a fortissimo
  Contorta, qualis ignea
Nutrita vis juniperi olentis caudice,
  Talis venenata impii
Lingua est. Miser, miser ego jam nimium diu
  Cum gente vivo barbara.
Me pax juvat, et mutui concordia
  Amoris ardens ignibus:
At ista gens, de pace cum loquor, nihil
  Crepat nisi necem, et sanguinem.

PSALMUS CXXI.

Docet, in periculis ad misericordiam Dei confugiendum esse, qui solus et possit, et velit nos incolumes conservare, et omnibus bonis augere et cumulare.

Dum me cruentus urget hostis, lumina
  Montes ad altos sustuli,
Unde ille rerum praepotens pater omnium,
  Terrae polique conditor,
Frustratus hostem barbarum, mittet mihi
  Opem benigno numine.
Nunquam ille saevis impiorum incursibus
  Tuam sinet constantiam

Labare victam, dormiet nunquam tuae
  Salutis ille negligens :
Qui civitati praesidet sanctissimae ,
  Nunquam profecto dormiet :
Haerebit ille semper ad dextrum latus
  Fidissimus comes tuum ,
Umbraculique tecum amabilis vice
  Fungetur optimus pater ,
Ne fervidus te tangat aut Sol , aut gravi
  Luna insalubris lumine .
Quodcumque ages , ubicumque eris , domi , foris ,
  In urbe , in agro , tecum erit
Semper beatus caelitum rex et pater ,
  Fortunet ut tibi omnia :
Suasque tandem ducet ad domos , ubi
  Æterna vives saecula .

PSALMUS CXXII.

Solebant omnes tribus Hierosolyma convenire ter in singulis annis ad agendos dies festos et solemnes : inducit igitur homines pios gratulantes , venisse tempus ejusmodi conventus , et urbem sanctam laudibus celebrantes , illique omnia bona precantes .

O quale cepi gaudium ,
  Cum dicerent , Adibimus
  Templum Dei sanctissimum !
  Te , magna , visam , civitas ,
  Tectis , viis et moenibus
  Et civium concordia
  Florentem , et almi Numinis
  Tutela . Agris ex omnibus ,
  Et oppidis gens plurima
  In te piorum singulis
  Annis ter ad festos dies ,
  Et sacra sancta convenit ;

Ut legibus mandat suis
Rector supremus caelitum.
Tu jura claris urbibus
Legesque das; tu maximos
Reges alis; te Davidis
Proles frequentat inclyta,
Stipata semper nobili
Turba ducum. Precamini,
Cives boni, bona omnia
Huic civitati: sit bene,
Feliciterque amantibus
Te, mater alma; nec tuis
Unquam recedat finibus
Pax, et beata Faustitas.
Salus meorum civium
Tua salute nititur:
Templum Dei sanctissimum
Te reddit omnibus piis
Amabilem. Igitur usque dum
Ego vixero, semper tibi
Bona precabor omnia.

PSALMUS CXXIII.

Homines pii ab impiis oppressi misericordiam Domini implorant.

Ad te, beatas qui beatus incolis
  Oras nitentis aetheris,
Attollo lumina lacrimis manantia,
  Vitae meae spes unica.
Injuriosa verberatus ut manu
  Manus heriles aspicit
Flens servus, implorans opem domini sui;
  Ut serva servi dextera
Pulsata, dominae dexteram aspicit suae;
  Sic te, pater sanctissime,

Nos intuemur maxima fiducia,
Donec querelis tristibus
Aures benignas applicans adsis tuo
Nobis secundo numine.
Jam, quaeso, jam tuere supplices tuos
Vultu sereno; ista quoniam
Abominata gens sua superbia
Nos enecat miserrime;
Miserrime nos enecat gens impia
Irrisione et jurgiis.

PSALMUS CXXIV.

Gens sancta praesenti periculo liberata gratias agit Deo.

Nisi nos benigni Numinis
Tutela servasset, piae
Nunc dicat urbis incola,
Nisi nos benigni Numinis
Tutela servasset, feri
Invaderent cum barbari,
Instar leonum, hiantibus
Nos devorassent faucibus.
Cum gens veniret impia
Furens, minasque et sanguinem
Spirans, malorum altissimo
Nos obruisset gurgite.
Torrens malorum maximus
Agros et urbem et omnia
Jam perdidisset funditus.
Supreme caelitum pater,
Te sempiternis laudibus
Servata tollet civitas,
Quam noluisti immanibus
Patere praedam belluis.
Ut implicata vinculo

Pudica turtur, aucupis
Crudelis effugit manum,
Si forte laqueus frangitur;
Sic impiorum e dextera
Spem praeter ipsi evasimus.
In posterum anxius timor
Nostris facessat finibus,
Quando omnium rerum potens,
Terrae, polique conditor
Suo benigno numine
Nostrae saluti consulit.

PSALMUS CXXV.

Describit securitatem eorum qui omnes suas spes collocant in Deo.

Quicumque vere spes suas locat in Deo,
  Immobilis semper manet,
Sionis instar, nulla quem suo potest
  Mutare vis unquam loco.
Ut sancta vallo montium circumdata
  Est undecumque civitas,
Sic ipse rector caelitum dextro pios
  Vallabit usque numine,
Illosque nullis improborum viribus
  Premi diutius sinet;
Ne forte virtus fracta rebus asperis
  Deo recedat a suo.
Fac affluenter manet ad bonos tua,
  Quaeso, benignitas, pater:
At qui, secutus impiorum pessima
  Consilia, deserit viam
Legum tuarum perditus, illum, precor,
  Ultrice puni dextera.
Utinam Quies et alma Pax nostros agros
  Nostras et urbes incolat.

PSALMUS CXXVI.

Describit laetitiam gentis Hebraeae e Babylone domum redeuntis .

Cum liberati barbarae gentis jugo
  Dulcem rediremus domum ,
Se somniare quisque , non vero frui
  Existimabat gaudio .
O quae voluptas , quanta nobis commoda
  Tuo favente numine
Tum contigere , caelitum rex maxime !
  Tum barbarus mirans ait ,
En quanta pro salute gentis istius
  Pater deorum conficit !
Et magna certe fecit ; haud injuria
  Tanto exsilimus gaudio .
Ut Auster udus imbrium vim maximam
  Fundens , jugisque collium
Nivem albicantium liquans , suas super
  Ripas alit torrentia
Flumina ; vagantur illa , lateque omnia
  Tenent ; ita , pater optime ,
Fac , ut tuorum multitudo civium
  Plenis viis ad patriae
Dulces fluat agros , omniaque passim occupet ,
  Laetoque plausu repleat .
Ut glareoso tristis arvo semina
  Mandans colonus , uberem
Si forte messem percipit , gaudet magis ,
  Quam cultor agri fertilis ;
Sic nos per annos septies denos gravem
  Et servitutem et cetera
Passi mala omnia , cum lares amabilis
  Reviseremus patriae ,
Cunctis vicissim gaudiis incessimus ;
  Tuaeque , rex sanctissime ,

Benignitati gratias semper agimus,
  Semperque habemus maximas.

PSALMUS CXXVII.

Docet, et domus et familiae et ipsius civitatis salutem et custodiam in unius Dei providentia constitutam esse, et ab eodem victum et cultum omnibus suppeditari.

Nisi conjugem Deus bonam et agrum fertilem
  Dulcesque donet liberos,
Frustra laborat, si quis haec studio suo
  Sese paraturum putat.
Nisi civitatem et civium concordiam
  Defendat optimus pater,
Et civitatem et civium concordiam
  Frustra tuentur principes.
Frustra ad labores ante lucem surgitis;
  Frustra laboratis diem
Totum, labores nisi Deus vestros suo
  Fortunet ipse numine.
Ipse et parabilem facit victum, et piis
  Praebet quietem civibus:
Ipse et frequentat liberis domum; et ipsius
  Uxor pudica munere
Contingit ac decora, et optimis simul
  Ornata proles moribus,
Talisque robore, qualis a fortissimo
  Sagitta torta milite.
Beatus ille qui pharetram talibus
  Implet sagittis! non ei
Erit timendum, si quod unquam evenerit
  Certamen: illum judices
Et cuncta civitas, suis cum filiis
  Bonum et beatum praedicant.

PSALMUS CXXVIII.

Praedicat, in summa rerum prosperitate vitam acturum quicumque Deum pie sancteque coluerit.

Beatus ille qui piam sese Deo
In servitutem dedit,
Semper paratus exsequi sanctissimis
Quod ille verbis imperat.
Non is paterna rura inaniter colit;
Sed quae feraci semina
Sinu recepit fundus, illa maximo
Reddit colenti foenore.
Uxor pudica bene regit domum, et optimis
Exornat ipsam liberis,
Foecunda vitis instar, apta diligens
Quam curat arte vinitor.
Proles novella crescit, ut virentibus
Oliva pulchra ramulis;
Et mensa turba garrula circumdata
Cumulat parentes gaudio.
Haec est piorum vita; eosque talibus
Remuneratur praemiis
Summi benignitas patris; quem si coles,
Urbis sacratae commodis
Laetus fruéris; usquedum vivas, tuae
Prolis beatae liberos
Florere cernes; patriis Felicitas
Regnabit alma finibus.

PSALMUS CXXIX.

Gratias agit Deo, quod populum suum ab impiis semper oppugnatum, salvum, incolumemque semper conservaverit.

Me barbarorum saepe vexavit furór,
Nunc sancta dicat civitas;

Me barbarorum saepe vexavit furor
  Ab ultima usque origine;
Sed nulla vis, nec ullus hostium dolus
  Me quivit unquam exstinguere.
Aravit heu mea terga longis verberum
  Sulcis nefandus barbarus;
Laboribus me, vinculisque asperrimis
  Duraque vexavit fame:
Sed vincla rupit ferrea, et tandem mihi
  Dulcem quietem praebuit,
Uberrimoque me locavit in solo
  Caelestium summus pater.
Qui civitatem Numinis sanctissimi
  Vult perditam, pereat male.
Ut herba tectis orta summis aedium
  Humore vitali caret,
Nec quit profundiore radices humo
  Agere; itaque ante exaruit
Percussa sole fervido, quam dexterâ
  Vellatur alicujus; neque
Manum replevit ea metens, suum neque
  Sinum, manipulos colligens;
Nec qui viator praeterit, verbis ei
  Bene precatur optimis;
Talis sit impius hostis et quisquis pios
  Odit, Deus quos diligit.

PSALMUS CXXX.

Precatio est hominis conscientia peccatorum gravissime cruciati, seque misericordiae divinae fiducia consolantis.

Malis profundis obrutus
Tuam, pater, fidem invoco.
Ne, quaeso, supplicis tui
Audire vocem respue.

Si vindicaris omnia
Peccata, cunctaque exigas
Quae jure debentur tibi,
Quis sustinebit, o pater?
Quis tam pie, tam puriter
Vitam colit, quin sit tibi
Poenas daturus maximas?
Incomparabilis tua
Certe benignitas facit
Ut numen a mortalibus
Tuum colatur. Hac ego
Confisus, auxilium tuum
Exspecto certum: animus meus
Et lenitate tua et tua
Promissione nititur.
Non sic morantem languidus
Exspectat Auroram vigil,
Qui nocte tota sedulus
Ambivit urbis moenia,
Votis ut omnibus expeto
Ego te morantem, o refugium
Meae salutis unicum.
Judaea gens, Deo tuo
Confide; nam Deus tuus
Benignus et placabilis
Et promptus est ignoscere.
Tua ipse peccata omnia
Delebit, et maculas sua
Absterget omnes dextera.

PSALMUS CXXXI.

Monet nos exemplo suo, fugiendam esse superbiam et importunitatem, atque in sola Dei misericordia spem ponendam esse.

Supreme rector caelitum,
Non ipse regium ob decus

Inflatus efferor, neque
Perambulans sublimia
Mentis superbae somniis,
Majora viribus meis
Tribuo, tribuere quam decet
Hominem caducum, inanis et
Imaginis simillimum.
Si non modestiam colo,
Si sumo magnos spiritus,
Turpissimae arrogantiae
Poenas gravissimas luam.
Qualis pusillus est puer,
Quem lacte dulci blandula
Vix alere desiit parens,
Talis animus et mens mea est.
Ut ille totus optima
Matre acquiescit in sua,
Sic ipse toto pectore
Ex caritate pendeo
Caelestis optimi patris.
O te beatum, quisquis es,
Qui spem tuam in Deo locas!

PSALMUS CXXXII.

Describit studium Davidis in parando loco ubi templum aedificaret. Inducitur etiam Deus loquens ac promittens, familiam Davidis sempiterno regno potituram; quod quidem perfectum est Christo Rege caelitum, atque hominum constituto.

Sis memor usque pii, Rex maxime, Davidis, et quam
Cives in omnes mitis extiterit suos.
Ille tui sancto incensus juravit amore,
Votumque lingua nuncupavit hoc modo:
Ne tibi sim carus, vita mihi carior ipsa,
Neu verba posthac supplicantis audias,

Ante meae si cara domus ad limina adibo,
  Oculosve somnus ante clauserit meos,
Quam praeclara tuo fuerit, pater optime, templo,
  Tuisque dedicata sacris area.
Sic ait, et parvo post tempore dedicat illam,
  Qua se beatis silva campis porrigit,
Cum tu clara prius Bethleemi signa dedisses.
  Tuam introibimus, pater, domum, tua
Perpetuo castis venerantes numina sacris.
  Tu mansionem dexter ad certam veni,
Mysticaque arca vagans stabili jam sede quiescat:
  Fac, ut sacerdos mente pura te colat,
Et sua cuique pio da gaudia, neve tueri
  Omitte prolem Davidis tui inclytam,
Quam patris aurato in solio tu, sancte, locasti.
  Juravit ille, pejerare qui nequit,
Omnipotens dulci affatus sic Davidem amore:
  Tua sedebunt sede liberi tui;
Qui si constantes in relligione manebunt
  Quam Mosis ore sanximus, neque inclyta
Foederis antiqui violarint jura, nepotum
  Serie propago nobilis longissima
Dulci pace fruens solio regnabit avito.
  Sionis arcem praefero cunctis locis.
Hic ego longa libenti animo per saecula degam:
  Hic supplicantium preces ego civium
Audiam, et optanti mea sancta oracula pandam.
  Florebit agris fructuum laetissima
Omnigenûm ubertas, atque hinc procul omne fugata
  Per aevum egestas exsulabit horrida.
Casta sacerdotes ornabit vita, colentque
  Domos piorum pura semper gaudia.
Ac veluti lauro pulchrae densissima silva
  Radice ab ima pullulat, sic Davidi
Candida succrescet proles, quae splendida facta
  Parentis augeat optimi: neque hostium

Ulla domum poterit vis hanc evertere; non si
Conjuret omnis impiarum gentium
Barbaries latas per terras didita. Cunctis
Optatus ille piis fluet ab origine
Ista, qui populos omnes, et maxima ponti
Æquora, globosque siderum micantium,
Et divos supra caeli convexa morantes
Mecum gubernet sempiterna ad saecula.

PSALMUS CXXXIII.

Commendat concordiam, et sanctam animorum inter se conjunctionem.

O quam beatum est pacis insolubili
Fratres ligari vinculo!
O qualia bona, et quanta secum gaudia
Apportat alma Caritas!
Quales odores spirat unguenti liquor
Stillans Aaronis sacro
E vertice aureas ad oras vestium,
Tales odores candida
Pax, atque amoris mutui concordia
Afflant piorum mentibus.
Ut ros Sionis decidens jugum, et avia
Hermonis alti pascua
Foecundat, ita quas incolit domos pia
Pax, ditat omnibus bonis.
Nam degit ubi Pax, et beata Caritas,
Ibi caelitum degit pater.

PSALMUS CXXXIV.

Hortatur Levitas, et alios viros religiosos qui noctu vigilias agebant in templo, ut precibus atque hymnis Deum venerentur.

Dum nox favet, suoque nos silentio
Invitat, agite, laudibus

Deum efferamus, aedis o sanctissimae
  Casti beatique incolae.
Tollamus, agite, supplices simul manus,
  Adytisque in intimis Deum
Aures amicas applicantem plurima
  Prece invocemus, ut sua
Ope sospitet cives, bonaque det omnia
  Larga benignus dextera.

PSALMUS CXXXVII.

Gens Hebraea in Babyloniam abducta commemorat hoc dulcissimo carmine luctum et moerorem suum, et praedicit excisionem imperii Chaldaeorum.

Dum nos ferarum gentium crudelitas
Desideratae patriae dulci solo
Exterminatos detinet, juvat procul
A civitatis barbara frequentia
Sedere solos sola propter litora
Euphratis. Hic comantium nostras lyras
Suspendimus ramo salicum, et uberrimam
Vim lacrimarum fundimus, tui, Sion
Dulcis, recordantes, tuamque, maxime
Rex caelitum, orantes opem ore supplici.
At interim adiens pastor errantis gregis
Cantate nobis, ait, aliqua de canticis
Vestris: quid istae pendulae tacent lyrae?
Quî nos queamus, obsecro, animum inducere,
Ut canticum sanctissimum nostri Dei
Cantemus istis exsulantes in locis?
Si oblitus unquam fuero, sancta civitas,
Tui, mea quoque oblita dextra psallere
Amabiles nunquam lyra eliciat sonos:
Adhaereat lingua mea faucibus meis,
Ne canere possim, nisi ego meminero tui,
Nisi cuncta acerba erunt mihi, et amarissimo

Amariora felle, donec moenia,
Tuumque templum restituta videro.
At tu, nefanda facta qui mortalium
Ultrice punis dextera, taeterrimi
Idumaeorum sceleris usque sis memor;
Qui, dum periret civitas tua, impios
Hostes furentes vocibus nefariis
Sic incitabant: Pergite agedum, et omnia
Vastate; ferro et igne cuncta evertite.
Babylon superba et omnium miserrima,
Beatus is, qui talibus pro injuriis
Te digna solvet praemia, atque idem tibi
Large reponet, parvulos a pectore
Natos revellens matrum, et illos aspera
Ad saxa frangens, teque funditus eruens.

PSALMUS CXLIV.

Gratias agit Deo, cujus benignitate hostes bello superare soleat, et ipsius auxilium implorat adversus impias nationes.

Æterne mundi Domine, quas grates tuae
Clementiae possim agere? vel tuum quibus
Efferre nomen laudibus sanctissimum?
Tu proeliari dexteram meam doces,
Et omnium discriminum fidissimus
Comes per hostes obvios, et horrida
Per arma tutum ruere, et incolumem facis.
Tu civitates subjicis meas mihi,
Latisque donas imperare gentibus.
Domine, quid est homo, quod honore maximo
Dignaris illum, et tam benigne amplecteris?
Homo est imago vana et umbrae somnium
Inanis, ipsa inanitate inanior.
Descende caelo, et irruentes hostium
Acies coërce fulminante dextera:

Illos procellis, igne, grandine dissipa,
Illos sagittis perime; nosque jam obrutos
His nationnm barbararum fluctibns
Tuere. Summe Rex, tuas laudes ego
Cantabo semper; tibi citbara semper mea
Hymnos sonabit. Tu salutem regibus
Donare gaudes: Davidem tu maximis
Periculorum liberasti casibus.
Tu nunc furores impiarum gentium
Compesce, quas nefanda semper dicere
Juvat, nefanda semper agere. Fac, pius
Miles triumphum nobilem referat domum;
Fac, alma pax quiesque nostris finibus
Regnent tumultu barbarorum liberae.
Proles novella crescat agris omnibus,
Ut valle myrtus avia nitentibus
Se ramulis subjicit, amica limpidi
Rigata fontis lymphula. Sint virgines
Nostrae decoro corpore spectabiles:
Sint plena semper horrea bonis frugibus:
Plenis redundet cella semper doliis,
Redundet oleo, melle, pomis dulcibus.
Sint prata gregibus tecta foecundissimis,
Fortes juvenci plaustra onusta ducere,
Fortes feracem glaebam aratro findere.
Neu saevus hostis nostra rumpat moenia,
Neu patriae jucundae amabiles agros
Abducta gens relinquat, aut civilibus
Sonent plateae jurgiis. Ter et amplius
Beata gens, quae talibus fruitur bonis!
Beata gens, quam maximus caelestium
Pater suo praesens tuetur numine!

Paraphrasis in Carmen Davidis de morte Saulis Judaeorum Regis, et Jonathae ejus filii.

Urbes, et agri, fundite
Lamenta, tristes sidera

Ad alta voces tollite:
Nostrum decus gens impia
Exstinxit; altis montibus
Gens clara bello, procidit.
Ne, quaeso, fama, compitis
Haec Ascalonis, aut Gethi
Perfer; puellas hostium
Ne tanta clades ad choros,
Cantusque laetos excitet.
Abominata Gelboë,
Nec ros, nec imber educet
Herbam tuam, neque in tuis
Jucunda vitis aut seges
Pubescat unquam montibus.
Hic heu relictis parmulis
Phalanx piorum militum
Fugata turpiter cadit:
Hic dux cruento in pulvere
Procumbit, ac si non foret
Gentis piae rex inclytus.
Sagitta nunquam Jonathae,
Cum saeva obiret proelia,
Ictus ferebat irritos,
Sagitta velox, fortium
Potare docta sanguinem:
Nec hostis unquam vel pede,
Vel equo tulit sese obvius
Impune, cum Saules manu
Ensem rotaret impigra.
Saules parens, et Jonatha
Parentis inclyti decus;
Jucundi atque amabiles,
Vos non diremit impiae
Vis dura mortis, copula
Quos vita dulci junxerat.
Non fortior vobis leo
Errat Libyssis vallibus,

Regina non avium ocyor
Vobis, fugacem praepete
Penna columbam persequens.
Vos, o decorae virgines,
Qnas induebat coccina
Rex veste, quas monilibus
Ornabat aureis, date
Vestro misellae lacrimas
Regi; misellae, tristibus
Sonent querelis omnia.
Ut militum ferocium
Infracta virtus concidit!
Ut Jonatha fortissime,
In montibus tuis jaces
Confossus altò vulnere!
Has fundo lacrimas tibi,
Et haec ab imo pectore
Suspiria; frater mihi
O luce cara dulcior,
Amate Jonatha mihi,
Quantum nec ardens candidam
Amans puellam deperit,
Quantum nec unicam parens
Tenella natam diligit.
Ut militum ferocium
Infracta virtus concidit!
Ut Jonathas acerrimus
Parente cum fortissimo
In montibus caesus jacet!

Ad Lectorem.

Haec nostra; lector Christiane, carmina
Sic temperavimus favente numine
Divino, ut ipsa cum legas, sit idem fere
Ac si poëtae Davidis sanctissimi
Hymnos legas; tametsi enim neque reddita

Fuere verbis verba, neque nobis fuit
Religio, multa addere, bonam et certam tamen
Spem habemus, additum nihil quod ab ipsius
Abhorreat sententia vatis, nihil
Obscura quod non monstret instar luminis,
Aut pulcbritudini poëmatis aliquid
Decoris addat, virgini pulcherrimae
Quale decus addunt arte purpureae rosae
Violaeque flavis crinibus circumdatae.
Quod si labores hos meos perspexero
Fuisse gratos, et legentium favor
Scribentis adjuverit, ut aequum, industriam,
Ultro recipio et tibi meam adstringo fidem,
Curam mihi hanc unam fore antiquissimam,
Ut quae reliqua sunt Davidis poëmata,
Oratione pura et arte musica
Ornata possint mox Latinis auribus
Intelligi. Hoc ego ut queam cito exsequi,
Utinam optimi faveat benignitas Dei;
Quod oro, votisque omnibus equidem expeto,
Non in meae, sed in ipsius spem gloriae.

Ad Alexandrum Farnesium Card. amplissimum.

Dum se alii mediae per amica silentia noctis
  Dulci sopore recreaut,
Haec ego Jessiadae cithara mage dulcia somno
  Meditans canebam, dum dies
Clara superveniens taciturnas pelleret umbras,
  Carissimas umbras mihi;
Quae me senserunt noctes vigilare beatas,
  Dum primus ipse mystica
Davidis ad Latias deduco carmina Musas,
  Piisque grata concino;
Non Jovis insani referens male sanus amores,
  Non ebriosa Liberi

Orgia, non ludos Phoebi exsecrandave sacra,
  Sed maximi laudes Dei,
Tergeminum quem caelicolae venerantur et Unum;
  Qui siderum vagantium
Multiplices cursus, qui magnum temperat aequor,
  Et omnium mortalium
Omnia facta videns sua justis praemia reddit,
  Suasque poenas improbis
Irrogat, et cunctas animalia cuncta per oras
  Alit benigno numine.
O utinam haec discant pueri castaeque puellae,
  Mentesque sanctioribus
Formentur studiis, dum parva et mobilis aetas.
  Quid, o parentes, quid juvat
Futilibus nugis et turpi carmine vestros
  Contaminare liberos?
Cum liceat sanctos illis versare poëtas,
  Scientiaeque pabulo
Divinae teneros animos nutrire, veneno
  Dulci relicto, quo malo
Nullum aliud magis esse nocens puerilibus annis
  Videre prisca saecula,
Quamvis illa forent caligine consita, nec dum
  Perfusa vero lumine.
At tu prudentem juvenili aetate senectam,
  O patriae decus inclytae
Farnesi, aequiparans, post magna negotia, quando
  Audire fessus nobiles
Regum Legatos summis de rebus, amoenos
  Mirandula doctissimo
Maphaeoque tuo comitatus te abdis in hortos,
  Et otio dulci juvat
Mollibus et studiis duros finire labores,
  Tunc nostra, quaeso, carmina
Perlege, nec tu Flaminii magis illa putato,
  Quam regis illustrissimi,

Qui bello insignis, pietate insignior, hostes
  Inter, ferociaque agmina,
Seu positis armis tranquilla pace quierat,
  Amore sancto percitus
Æterni regis laudes et maxima facta
  Tali canebat carmine.

IN LAUDEM

M. ANTONII FLAMINII

EPIGRAMMATA

Ab aliquibus Basilio Zancho tributa.

I.

Sacra Syram canit ad citharam quae carmina David,
Ad citharam haec recinit Flaminius Latiam.
Utraque, docte, legens dices. In utroque relucet
Par linguae candor, par pietas animi.
Creditur ille quidem sancto cecinisse furore
Percitus: hic eodem digna furore canit.
Lectori esse rudi poterit sed carior, est quo
Clarior obscuro Davide Flaminius.
Magno magna Deo debetur gratia, cujus
Praeclarum hoc magno numine surgit opus.

II.

Sancta Palaestino quae sunt tibi condita versu,
Edidit haec doctus carmina Flaminius.
Hoc duce sacra colent Musae jam templa Latinae,
Hactenus a templis quae procul abfuerant,
Errare in silvis assuetae ac montibus altis,
Turpis eas vatum quo furor impulerat.
Quam decet hac castas ornari veste puellas!
Quamque decent sanctas carmina nostra deas!
Ausus erit dein quisquis eas violare profanus,
Obscoeno maculans ora pudica sono,
Sentiet iratas merito saevire Camoenas,
Flagitiique feret praemia digna sui.

At tibi Pierides sanctae, divine Poëta,
Munera dent magna pro pietate tua;
Largius ut manans divina haec vena salubres
Davidis e puro flumine fundat aquas.

III.

Cygnea Flaminii fuit haec vox morte sub ipsa,
Quam sanctus vates fudit ab ore pio.
Non hos versiculos mendax huic Musa, sed almi
Dictavit verax Spiritus osque Dei.
Ut nihil illa canit nisi falsum, ita nil nisi verum
Divinus novit Spiritus iste loqui.
Hauserit hunc quisquis, sibi demanasse putabit
E caelo verum nectar et ambrosiam;
Versiculos tuncque hos longe superasse Maronis
Sentiet, et docti carmina Maeonidae,
Et quae Flaminii celebrat nunc Roma poëtae
Carmina vel priscis aemula carminibus;
Ille sibi valde doluit quae scripta fuisse,
Sanctus eum postquam Spiritus hic monuit.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM SACRORUM
LIBER
QUI ET OCTAVUS.

TORQUATO BEMBO

Impulit me tacita quaedam vis, Torquate Bembe, quaerentem cuinam harum M. Antonii Flaminii piarum precationum et aliquot item Carminum, quae moriens fecit, editionem dicarem, ut tibi uni ex omni eorum numero, qui hoc studiorum genere delectantur, id munus deberi existimarem. Nam quum id facere instituissem, ut neminem nisi qui et viventem Flaminium dilexisset, et mortuum quoque summa pietate et grata memoria prosequeretur, eligerem, qui hoc, quidquid est, et libenter susciperet, et susceptum foveret, occurristi tu ex omnibus qui utrumque hoc posses cumulate praestare. Tu enim jam inde a teneris annis Flaminium semper dilexisti: tu majorum exemplo illius amicitiam omni officiorum et amoris genere coluisti: tu illius scripta, quae cum alias, tum vero postremis hisce temporibus publicavit, et apud te, tamquam et doctissimi et tui amantissimi hominis habere, et summis laudibus efferre non destitisti: ut vel hinc ab omnibus facile cognosci possit, quam accuratus in avitis amicitiis non tuendis solum ac conservandis, verum etiam in dies augendis, et esse, et haberi velis. Ac ne id quidem ullo pacto praetermiserim, quod nominis tui gloria, quae tum clarissimi et amplissimi avi tui recenti recordatione, tum propriis et his praeclaris quidem animi tui dotibus insignis, eo etiam pervenit, ut longe altius progressuram nemo non speret; non parvi ad Flaminii decus et gloriam referre existimandum est, ejus scripta illi commendari, qui inter omnes et auctoritatis et gratiae primum locum teneat. Quare jure hoc mihi, et non sine summa ra-

tione videor effecisse. Quod si viventi illi, dicandi cui vellet Operis editionem, data esset optio, haud alium quemquam quam te ipsum aptiorem reperire potuisset. Itaque etsi ea hominis conditio fuit, ut nec quae in animo habebat, emittere, nec quae olim emiserat, ut absoluta undique legerentur, efficere potuerit, ac, quod hoc etiam pejus infeliciusque est, eorum, quae jam absolverat, non pauca furto domestico interciderint: illud tamen non mediocre in tam gravi jactura solatium est existimandum, quod ubique a viris et doctrina et omni morum optimorum genere praeditis, quantum in iis est, sedulo ac diligenter curatur, ne tam clara hominum luce digna scripta diutius in tenebris occultentur; neque alia certe de caussa Donatum Rullum virum optimum et ipsius Flaminii amantissimum, qui morienti Romae adstitit, tantopere in iis conquirendis laborare existimarim, nisi quod et pio quodam in defunctum amore et singulari in ejus studiosos benevolentia ducatur. Scripsit autem plura vir pius, et divinarum humanarumque litterarum peritissimus, plura e Graeca in nostram linguam transtulit, quae cum omni antiquitate contendunt: sed illa vel in primis supra illorum etiam qui antiquitus hac laude floruerunt praestantiam sunt habenda, quae in duodecimum Aristotelis de Prima Philosophia librum ad Paullum III. summa cum eruditionis et doctrinae laude, tum styli elegantia et gravitate conscripsit in quo libro interpretando nos ita hominis ingenium admirari oportet, ut palmam, siqua his qui de Graeco vertunt, debetur, huic uni facile tribuendam esse intelligamus. Quid autem ea commemorem, quae super Psalmos tum versu tum soluta oratione pari felicitate tractavit? nimirum si ea spectemus, quae in iis duo et triginta sunt Psalmis, quos per Paraphrases ad Paullum Pontificem Max. soluta oratione conscripsit, vel in ea explanatione qua ad Alexandrum Farnesium omnes prorsus complexus est, cum iis

quae a veteribus Theologis scripta sunt, tum sententiarum gravitate, tum verborum elegantia merito conferri possunt. Si vero quos versibus transtulit consideremus, ita Latinis figuris illustravit, ut neque numerorum concinnitate, neque modorum suavitate, quae in Hebraea maxime lingua sentiuntur, carere passus sit. Ne nunc Eclogas, Elegias et nunquam satis laudata Epigrammata commemorem, quae ille priscorum poetarum aemulatione, non odii felle subamaro, sed perdulci quadam suavitate claudebat; quae omnia eo a me dicuntur, quo facilius possint omnes intelligere, quam singulare nostra haec tempora beneficium a Deo sint Opt. Max. consecuta. Tulerat superior illa patrum et avorum nostrorum aetas, non mediocri laude digna ingenia Antonium Panhormitam, Altilium, Jovianum Pontanum et Jacobum Sannazarium: tulit, haec, ne illi ulla in parte posset invidere, Petrum Cardinalem Bembum, Torquate, Joannem Cottam, Andream Naugerium, hunc ipsum Flaminium, et postremo Hieronymum Fracastorium, qui suis scriptis, quae cum omni antiquitate contendunt, illud praestat, ut nostrum hoc saeculum, aureo illo quo artes omnes et facultates, atque in primis Latinae linguae puritas et elegantia florebat, nihilo inferius esse existimetur: ut jam nihil sit quod in hoc genere aut cultius aut copiosus desiderari queat. Flaminius autem noster, etsi fatorum iniquitate multo celerius quam oportuit, nobis surreptus est, cura tamen ac benevolentia hominum adhuc spirat ac vivit in iis scriptis quae vel vivens edidit vel moriens reliquit: et quae illum eripuit mors, praeclara ac aeternitate digna illius ingenii non potuit obscurare monumenta. Itaque ne te diutius quam par est, Torquate, morer, utpote qui haec omnia melius intelligis, quam aut ego aut alius quisquam possit explicare, illud vere dicam, hoc, quidquid est muneris, Reginaldo Polo Cardinali amplissimo, quocum familiari convictu Flaminius vixit, a

nobis deberi. Quod, quum vir ille doctissimus diutino morbo confectus, moriens extremum esset Deo spiritum redditurus, is una cum Aloysio Priulo, probatae virtutis homine, qui Flaminium tota vita quasi se ipsum semper dilexit, ejus ingenii reliquias collegerit, neque cum auctore suo interire passus sit. In quibus tum alia multa sunt, quae in lucem nunc damus, quae ille jam prope animam agens, quadam quasi cygnea voce emisit, tum piae hae precationes, quae ad Margaritam Valesiam Francisci Gallorum Regis filiam, et Henrici, qui nunc regnat, sororem, conscriptae sunt: quas quum eruditissimus simul et religiosissimus vir Basilius Millanius Cassinas, spectatae virtutis et religionis homo, ea de caussa edi efflagitaret, ut facilius iis qui a teneris Christiana pietate instituuntur, impertiri possent, non potui honestissimo amici hominis deesse desiderio. Ea vero omnia in lucem emissurus, nullius potius quam tuo, Bembe, patrocinio commendanda esse existimavi. Tu, ut omnia nostra soles, hilari animo accipies: ac meam in te, tuosque omnes singularem observantiam non aspernabere: qui hoc, quidquid est, sub tuo nomine ideo emittendum putaverim, ut quoad pius iste libellus manserit (manebit autem diutissime), tandiu cum eo stet hoc, qualecumque est, perpetuae meae erga te observantiae monumentum.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM SACRORUM
LIBELLUS
QUI ET OCTAVUS.

Ad Margaritam Henrici Gallorum Regis sororem.

I.

Pudica virgo, regiae
Stirpis propago nobilis,
Ornata sanctis moribus,
Et litteris, et ingenî
Decore fulgens, scripsimus
Haec, insideret aridis
Cum longa febris artubus;
Iis addituri plurima,
Ni mens gravata corporis
Laboribus languesceret.
Sed tu, puella candida,
Caelestis ardens ignibus
Amoris, ut mens augurat,
Libentius hunc perleges
Parvum libellum, sed pium,
Quam prisca vatum carmina
Nugis referta inanibus.

II.

Precatio Matutina.

Jam noctis umbras Lucifer
Almae diei nuntius
Terra poloque dimovet,
Simulque nos cubilibus
Monet relictis, pectore
Preces ab imo fundere
Ad templa summa caelitum.
Oremus ergo supplices
Fontem perennem luminum,
Ut sicut omnes aëris
Illustrat oras, vivido
Sic nostra corda repleat
Fulgore Sancti Spiritus,
Qui nos per haec contagia
Puros ab omni crimine
Traducat ad caelestium
Sedes beatas. Illius
Nutu gerantur omnia,
Cibumque sive sumimus,
Seu quid negotii foris
Tractamus, aut domi, intima
Seu mente quid revolvimus;
Id omne semper gloriam
Spectet beati Numinis.
Rector supreme caelitum,
Quae mente tota poscimus,
Haec omnibus concedito
Qui corde puro te colunt
Et unicum Natum tuum,
Cum sempiterno Spiritu.

III.

Precatio Meridiana.

Jam Sol citato sidere
Suprema caeli culmina
Percurrit; alma fervidis
Tellus calescit ignibus:
At tu beato lumine
Accende corda frigida,
Pater benigne, et omnibus
Tantos piorum sensibus
Ignes amoris excita,
Ut quidquid orbis continet,
Prae te sit illis sordidum;
Nec ulla vis hunc fervidum
Amoris aestum temperet;
Sed usque crescens omnia
Convexa caeli transvolet,
Summoque Patri vinculo
Nos jungat insolubili.
Has nos ab imo pectore
Precationes mittimus
Tuas ad aures, maxime
Terrae polique conditor.
Tu vota nostra numine
Dextro secunda, idque ad tuam
Concede nobis gloriam.

IV.

Precatio Vespertina.

Jam Vesper ortus incipit
Diem tenébris condere:
At nos parentem luminis

Sancti precemur, ne sinat
Noctem suorum mentibus
Caliginosam irrepere;
Seu dulcis alma recreat
Sopor quiete languida,
Seu linquit ille lumina,
Nunquam recedat a piis
Lux sempiterna cordibus;
Ut semper in dies magis
Magisque detur maximi
Benignitatem Numinis
Videre mente lucida,
Et hinc amoris optimi
Ardere semper ignibus.
Supreme caelitum Pater,
Votis tuorum supplicum
Aures benignas admove,
Ut sensa cordis omnia
Et dicta factaque ad tuam
Sic dirigamus gloriam.

V.

Opem Christi in magna animi aegritudine constitutus implorat.

Jesu benigne, fervidas
Precationes et mea
Ne, quaeso, vota despice.
Ut terra Solis ignibus
Hiulca, sic animus meus
Afflictus, aeger, aridus
Dulcissimum rorem tuum
Exspectat. O salus mea,
Refrigera mentem meam:
Metus, dolores, lacrimas
Muta perenni gaudio;

Ut hae querelae flebiles
Mutentur in laudes tuas,
Et vox agendis gratiis
Noctes diesque personet.
Ne, quaeso, more judicis
Quid egerim, quid dixerim,
Quid cogitarim, pondera;
Peccata sed mea omnia
Tuo cruore deleas.
Me vulnerum sanet dolor
Tuorum; amara mors tua
Cordi meo dulcedinem
Instillet, ut meam crucem
Et fortis et libens feram.

VI.

Quam sint beati qui sumta sua Cruce Christum sequuntur.

Beatus ille qui suam
Tollit crucem quotidie,
Magnisque Jesum passibus
Sectatur! illum maximus
Caelestium Pater sibi
Adoptat ultro filium,
Eique donat Spiritum
Peccata delentem omnia,
Hereditatis inclytae
Pignus beatum. Is intimo
In corde miros excitat
Patris amores optimi:
Hinc ille temnens omnia
Quaecumque tellus et maris
Arena dives continet,
Laetatur unico Deo:
Hunc spem, salutem, gloriam

Suam suumque gaudium,
Patrem, magistrum nominat;
Latusque semper dexterum
Sibi tegentem conspicit,
Per hujus ut vitae vias
Formidolosas ambulet
Securus, et cari Patris
Benignitatem sentiat.
Ergo nec illum territat
Humana vis, nec inferûm
Furor tremendus. Maximis
Periculorum casibus,
Ut dura rupes turgidi
Tunsa procellis Hadriae,
Immobilis semper manet:
Nec cessat ullo tempore
Hostes, amicos, patriam
Juvare, negligens sui.
Sic ille vitam caelitum
Colens, perenni gaudio
Triumphat. Impius, licet
Terrae marisque sit potens,
Pulchrumque nomen occupet
Felicis, est semper miser.

VII.

Comparat animum suum flori.

Ut flos tenellus in sinu
Telluris almae lucidam
Formosus explicat comam,
Si ros et imber educat
Illum; tenella mens mea
Sic floret, almi Spiritus
Dum rore dulci pascitur.
Hoc illa si caret, statim

Languescit; ut flos arida
Tellure natus, eum nisi
Et ros et imber educat.

VIII.

Eos tantum Beatos esse affirmat qui ceteris omnibus relictis Christo adhaerent.

Quousque vana somnia,
Falsasque rerum imagines,
O caeci, amare pergitis?
Non forma vincens Nirea,
Non dives usus purpurae,
Non mens peragrans sidera,
Camposque latos aëris
Marisque, terrasque infimas,
Reddunt beatos. Unica
Felicitatis est via
Jesus, benignus omnium
Dator bonorum. Currite
Omnes ad illum, currite
Fidenter. Ille deserens
Amore nostri caelitum
Sedes beatas, pertulit
Famem sitimque et vulnera
Mortemque diram: neminem
Fastidit ille: perditos,
Ægros, malorum pondere
Pressos juvare diligit.
Non sic et optimum et unicum
Amant parentes filium,
Ut ille nos. O centies
Beatus ille, maxime
Jesu, relictis omnibus,
Qui mente tota se tibi
In servitutem dedicat!

IX.

Praedicat beneficia a Christo in se et ceteros mortales collata.

Jesu beate, Numinis
Æterna proles maximi,
Quibus tuam clementiam
Efferre possim laudibus?
Tu pulchra linquens sidera
Formata dextera tua,
Mortale corpus induis,
Ut ipse terram deserens
Snprema caeli culmina
Conscendam: acerba vulnera
Crucisque dira sustines
Tormenta, ut ipse callidi
Serpentis ore saucius,
Mortisque certus, gaudeam
Vita potitus caelitum,
Tuoque factus munere
Tuus coheres. Fac, precor,
Jesu benignc, cogitem
Haec semper, ut semper tibi
Summoque Patri gratias
Agam, pieque vos colam,
Totaque mente diligam.

X.

Quid servandum sit amatoribus Christi.

Quicumque Jesum diligit,
Humana discat omnia
Nil aestimare. Diligens
Opcs, honores, gloriam,

Amare Jesum puriter
Nequit. Relinque cetera,
Unumque Jesum posside;
Nam quidquid est usquam boni,
Sic possidebis: lacrimas,
Metus, dolores pectore
Tuo fugabit: dulcia
Semper morantur gaudia,
Ubi moratur candidus
Jesus; voluptas unica
Est ille amantium sui.
Quin mater et pater tuus
Te derelinquent; optimus
A dextera nunquam tua
Jesus recedet, omnium
Fidus comes discriminum;
Et cum suprema venerit
Tibi dies, te transferet
In sancta regna caelitum,
Fruaris ut vita simul
Et sempiterno gaudio.

XI.

Exprimit ardorem amoris sui erga Christum.

Te, sancte Jesu, mens mea
Amoris icta vulnere
Suspirat. O salus mea,
Me solve tandem vinculis
Istis, ut evolem tuam
Beatus ad praesentiam.
Fac interim magis magis
Amore totus ardeam;
Ut pura mens a corporis
Contagione, amplexibus
Evadat aptior tuis.

Tu spes, voluptas, unicum
Cordis mei sis gaudium.
Benigne Jesu, da, precor,
Humana cuncta spernere
Te propter; omnia fac mihi
Te praeter unum sordeant.
Seu pulcher oras aetheris
Sol lustrat almo lumine,
Seu nox benigno languida
Rigat sopore corpora,
Domi forisque mens mea
Te quaerat, invocet, canat,
Solumque felix in tuo
Dulci acquiescat nomine.

XII.

Hymnus in Christum.

Jesum pudicae virgines,
Jesum juventus integra,
Jesum viri, senes, anus
Cantemus, in cujus fide
Laetamur esse, patrio
Qui nos amore diligit
Fovetque. Summi Numinis
Æterne Fili, siderum,
Terrae marisque conditor,
Nil vasta caeli immensitas,
Nil magnus orbis continet,
Non dextera factum tua.
Tu Patris in sinu sedens,
Alis, gubernas omnia;
Tu caritate maxima
Nostrae misertus miseriae,
Mortale corpus induis,
Diraeque affixus cruci,

Nos morte vindicas tua
A sempiternis ignibus:
Tu morte victa regiam
Reversus ad tuam, simul
Tui colentes aurea
In parte caeli collocas.
Te coetus omnis caelitum
Noctes diesque concinit:
Te sempiternus Spiritus
Salutis auctorem unicum
Testatur esse: tu quies,
Lumen, voluptas mentium,
Tu pastor, agnus omnia
Peccata tollens, Pontifex
Æternus iram maximi
Sedare praesens Numinis.
Clemens, suavis, optime
Jesu, tuorum prospera
Cursum benignus, ut soles,
Piasque laudes suscipe,
Quas ore puro fundimus.

XIII.

Christum invocat magnitudine morbi se jam opprimi sentiens.

Jam quinta Lunae cornua
Se luce complent, horrida
Cum febre membra tabida
Depascor, ossa frigore
Tremor furente concutit,
Dein aestus acer intimas
Urit medullas, ut faces
Absumit ignis aridas.
Jam corpus amisi, mei
Vix umbra jam superat. Levis

Ut flos gravatus imbribus
Caput tenellum dejicit;
Sic mens misella perdita
Cedit malorum ponderi.
Jesu benigne, respice
Meos labores, dextera
Tua cadentem subleva.
Non illud ipse jam precor
Meo recedat corpore
Haec pestis; unum id omnibus
Votis requiro et obsecro,
Ut robur, et constantiam
Mihi ministres; languidos
Artus, medullas, omnia
Hic ignis ossa devoret,
Dum mens refecta vivida,
Tuoque fortis Spiritu
Resistat, et semper tibi
Jucunda laudes concinat.
Jesu benignus, optimus,
Horrenda passus vulnera,
Dolentibus succurrere
Est promtus. Ægrimoniam,
Metus, querelas abjice
Fidenter, o anima mea:
Quiesce, nomen invoca
Dulcissimum regis tui;
Est ille munitissima
Arx invocantibus eum.

XIV.

Dolet se jam senem fieri, neque tamen adhuc coepisse Deo ex animo servire.

Eheu senecta crinibus
Jam sparsa canet, labitur

Ætas, ut unda fluminis,
Auremque vellens pallida
Mors admonet; Miser, ah miser,
Quousque pergis somnia
Umbrasque vanas persequi?
Jam jam supremi judicis
Tribunal ad justissimum
Sistére, cordis intima
Qui sensa, qui dicta omnium,
Qui facta novit omnia.
Haec vera certa judicat
Mens, et relictis omnibus
Summo beato Numini
Servire totis viribus
Exoptat, ardet, nititur;
Sed heu misella sordidae
Affixa terrae, inaniter
Laborat. Eja age subveni,
Jesu benigne, subveni,
Tuamque dextram porrige:
Tu morte mortuum tua
Olim evocasti ex inferis:
Nunc vita me vivum tua
Perire ne rursum sinat.
Humana fac spernam omnia,
Nudumque te nudus sequar,
Et ponderosi corporis
Me solve tandem nexibus;
Ut pura mens et integra
Ævo potita caelitum,
Te, sancte, et optimum Patrem
Et sempiternum Spiritum
Laudare nunquam desinat.
Jesus suorum supplicum
Tutela, portus, gaudium,
Quae mente tota deprecor,
Concedat: ipse gratias

Agam benigno Numini,
Ejusque laudes pectore
Laetante semper concinam.

XV.

Quam sit dulcis et salutaris vulnerum et tormentorum Christi assidua meditatio.

Jesu, tuorum vulnerum
Cruore sancto pascere
Me, quaeso, nunquam desinas.
Me sanguis iste roborat,
Dulcique replet gaudio.
Hoc est amoris poculum
Caelestis, omnes sordidos
Pellens amores: ebria
Hac potione mens, sui
Et omnium sit immemor
Quaecumque mundus continet;
Deumque solum cogitat,
Tuumque amorem, fervide,
Immense, nulli effabilis
Amor, beatis sedibus
Tu maximi Natum Dei
Deducis, ipsique induis
Mortale corpus; asperam
Dein tollis illud in crucem.
Amabilis, dulcissime
Amor, meis in sensibus
Tantas amoris excita
Flammas, ut ustis nexibus
His ponderosi corporis,
Alis tuis ad optimum
Jesum beatus advolem.

XVI.

Orat ut Christi benignitate sibi liceat pie sancteque vitam agere.

Tutela praesens omnium
Qui mente pura te colunt,
Da, quaeso, nil ut cogitem,
Agam, loquar quod Numini
Tuo placere non queat:
Comis, benignus in bonos
Malosque sim, ne degener
Sim natus optimi Patris;
Qui Solis almo lumine
Illustrat omnes, omnibus
Potum cibumque sufficit.
Legum tuarum per vias
Me continenter dirige,
Bonique quidquid egero,
Id esse totum muneris
Tui sciamque et praedicem.
Seu febris artus pascitur,
Seu miles urit impius
Domum paternam, dicere
Laudes tibi ne desinam;
Sed cuncta Numinis tui
Nutu regi nil ambigens,
Vivam quietus: filios
Dei secunda et aspera
Juvent oportet. Gloriam
Tuam, Patrisque maximi
Meae saluti praeferam;
Nec ulla res optatior
Queat mihi contingere,
Quam contumelias pati
Te propter. Ipsa carior

Sit luce mors, ut corpore
Exutus ad tui volem
Regni beata gaudia.

XVII.

Gratias agit Christo, cujus beneficio e maximis periculis sit ereptus et ad viam salutis revocatus.

O lux beata caelitum,
Mortalium fidissima
Tutela, quas agam tibi,
Jesu benigne, gratias?
Ut olim aberrans aggere
Ovis misella, saltibus
Formidolosis delitet,
Voranda mox rapacibus
Feris; miserrimus omnium
Sic ipse per mala omnia
Caecus ruebam; candida
Cum lux beati Spiritus
Tui refulsit, et viam
Quae ducit ad felicium
Æterna regna caelitum
Monstravit. Ista lux meae
Mentis tenébras dispulit:
Cordi meo dulcissimi
Faces amoris ista lux
Infixit. Illo ex tempore
Te, sancte, totus ardeo,
Te quaero amore saucius:
Videre vultum candidum,
Tuis frui complexibus
Mens ardet; ipsa jam nihil,
Te praeter unum, cogitat.
Non sic decentem virginem
Furens amator deperit;

Non sic tenellum filium
Parens uterque diligit.
Amoris aestu liquitur
Cor molle, ut olim fervidis
Percussa cera solibus.
O flamma mentem frigerans,
Omnesque labes excoquens,
Me semper in dies magis
Incende, perge adurere,
Consume, totum verteris
Me donec in faces tuas.

XVIII.

Queritur, magnam hominum partem relicto
Christo rebus inanibus studere.

Jesu beate, si tuo
Amore sancto perfrui
Quam dulce sit cognoscerent
Qui res inanes diligunt,
O quam suae dementiae
Taederet ipsos! Vulnera
Acerba corporis tui
Tanta fluunt dulcedine,
Ut quisquis illa suxerit,
Opes, honores, omnia
Amata jam fastidiat,
Deique sola gloria
Laetetur oblitus sui.
Sed caeca gens his fontibus
Praefert lacunas putidas
Et pestilentes. Gratia
Magna tibi, Jesu maxime,
Qui me tuo purissimo
Lavas, alisque sanguine.

XIX.

Praedicat, se sine tutela Christi in mala omnia praecipitem ruere.

Te sancte Jesu, supplici
Adoro corde, cor tibi
Meamque mentem dedico.
Ut bimulus puer, sua
Custode si caret, sibi
Magna creat pericula;
Sic ipse, si desit tui
Tutela praesens Spiritus,
In cuncta praecipitem mala.
Dulcis, benigne Spiritus,
Me, quaeso, totum posside,
Tuaque flamma incendito
Amore cor; illumina
Mentis tenébras; excoque
Quodcumque inhaeret noxii.
Fac, semper in te gaudeam;
Opes, honores sordeant;
Summique Patris gloria
Sit luce carior mihi.
Seu pascit hortus lumina
Florum colore gemmeo,
Seu fons susurrans vitreis
Delectat undis, illico
Vox surgat in laudes Dei.
Sol, Luna, fulgor siderum,
Lapsus perennes amnium,
Formosa silva, frugibus
Ager, redundans, omnia
Quaecumque cerno, maximam
Sancti beati Numinis
Benignitatem cernere,

Manuque tractare faciant.
Hinc ipse discam comiter
Omnes juvare, nemini
Nocere; purus, integer,
Deoque carus exigam
Quod restat aevi; transvolans
Dein summa caeli sidera
Fruar perenni gaudio.

XX.

De ardenti amore suo erga Christum.

Amore totus langueo,
Nec ulla jam datur quies.
Jesu benigne, jam meam
Solare mentem, candidos
Ostende vultus, lumine
Tuo beata lumina
Fac mea, nec osculum, precor,
Amans amanti denega.
Tu sponsus es animae meae;
Te quaerit illa lacrimis,
Te continenter invocat:
Tu, sancte, mortis e manu
Tuo redemptam sanguine,
Tuique amore sauciam,
Odisse certe non potes.
Ergo misella cur tuae
Dulcedinem praesentiae
Non sentit? ah cur supplices
Venti querelas dissipant?
Sed tu licebit anxio
Amantem amore torqueas,
Non illa amare desinit.
Jesu, tui tabescere
Amore res dulcissima est.

XXI.

Commendat animum suum Deo magnitudine morbi in extremum vitae periculum adductus.

Rector beate caelitum,
Qui sic amas mortalium
Salutem, ut almi filii
Cruore sancto laveris
Peccata eorum; suscipe
Servi precantis spiritum,
Qui fretus unica tua
Benignitate languidos
Artus libenter deserit,
Ut alta caeli sidera
Petens fruatur, optime
Pater, tua praesentia,
Et sempiterno gaudio.

XXII.

Ad Christum.

Alme puer, sanctis quem Virgo amplectitur ulnis,
Virgo caelesti Numine facta parens.
Cernis, ut exiles febris mihi pascitur artus?
Cernis, quam saevus concutit ossa tremor?
Quem sequitur miseras exurens flamma medullas,
Urit ut arentes lucida pruna faces.
Tu puer, aeternus cui dat Pater omnia posse,
Tutela humani, sancte puer, generis;
Si labefacta gravi sub pondere tota recumbit
In te uno famuli spesque salusque tui,
Aut morbum pelle, aut vires mihi suffice, tanta
Queis possim laeto pectore ferre mala.

M. Antonii Flaminii Carminum Finis.

ADMONITIO

AD LECTOREM

In hac editione omisimus M. Antonii Flaminii carmina ad Petrum Carnesecum, ne judicium eorum subiremus qui M. Antonium Flaminium haereticum dixerunt, scriptisque mandarunt; propterea quod Carneseci amicitiam coluerit. Enimvero fuit quidem Flaminius cum Carneseco in re litteraria, atque in omni urbanitatis officio familiaritate conjunctus: in rebus autem ad Religionem spectantibus ab eo prorsus dissensit. Audiant ii quam sapienter, quam catholice sancteque ad eum scripserit, eumque monuerit in fine orthodoxae epistolae suae Italicae de Mysterio Eucharistiae et Sacrificio Missae, quae exstat libro VIII. Epistolarum Italicarum XIII. Virorum Illustrium pag. 304. *edit. Rom.* 1554. *in* 8. *apud Valerium Doricum, et Aloysium fratres, et pag.* 134. *a tergo edit. Venet. eodem anno, incerto Typographo*. E noi Signor mio, se non vogliamo far naufragio in questi pericolosissimi scogli, umiliamoci nel cospetto di Dio; non ci lasciando indurre da ragione alcuna, per verisimile ch' ella ne paresse, a separarci dall' unione della Chiesa Cattolica; dicendo con David: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, quia tu es Deus salvator meus:* e senza dubbio saremo esauditi. *Nam bonus, et rectus Dominus, propterea diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas*. Laddove volendo giudicare le cose divine col discorso umano, saremo abbandonati da Dio, ed in questo secolo contenzioso talmente ci accosteremo all' una delle parti, e

odieremo l'altra, che perderemo del tutto il giudicio e la carità, e dimanderemo la luce tenebre, e le tenebre luce, e persuadendoci d'esser ricchi e beati, saremo (*) poveri, miseri e miserabili per non saper separare *pretiosum a vili:* la qual scienza senza lo Spirito di Cristo non si può imparare: al qual sia gloria in sempiterno. *Amen*.

Di Trento: il primo di Gennajo. MDXLIII.

(*) Apocal. 3. 17.

M. ANTONII
FLAMINII
EPISTOLÆ SEX ITALICÆ SELECTÆ.

Quarum primae quatuor quorumdam ejus Carminum defensionem continent; reliquae vero duae brevem facillimamque pueros litteris optime instituendi rationem tradunt. Quapropter maxime consentaneum nobis visum est, humanissime Lector, has Flaminii Epistolas ejus Carminibus adjicere, ut iis quibus refertae sunt optimis praeceptis erudiaris.

M. ANTONII

FLAMINII

EPISTOLÆ SEX ITALICÆ SELECTÆ.

I.

A M. BASILIO ZANCO.

ARGOMENTO.

Ch' egli è lecito scrivendo Latino formare alle volte nuovi vocaboli; ma che in ciò è bisogno d' un perfetto giudizio.

Benchè il vostro giudizio appresso di me abbia grande autorità, e meritamente; nondimeno io non ho potuto indur l' animo a scancellar ne' miei versi questo vocabolo (1) *floricomus*: e perchè non possiate mai pensare che ciò sia proceduto dalla poca stima ch' io faccia di voi, voglio che intendiate le mie ragioni, e voglio piuttosto porle in scrittura che dirle a bocca; acciocchè le possiate meglio considerare. A voi non piace questo vocabolo *floricomus*, perciocchè nol trovate negli scrittori antichi. Se questa ragione è valida, a me pare che si possa concludere che non è lecito di formar nuovi vocaboli:

(1) In carmine ad Guidum Posthumum:

Jam ver Floricomum, Posthume, verticem.

Exstat in libello Carminum M. Ant. Flaminii edit. Fani 1515. in 8. V. lib. II. num. 33. hujus editionis.

la quale opinione è contraria al giudizio ed all' uso degli uomini dottissimi antichi: al giudizio, dico, come d'Aristotile, di Cicerone e d'Orazio: i quali non solamente approvano la novità de' vocaboli, ma eziandio insegnano come si debbano innovare: all' uso, dico, perciocchè i buoni scrittori antichi hanno formati molti vocaboli, come sapete meglio di me. Qui si potria rispon dere che la novità dei vocaboli era lecita appresso degli antichi, ma non ai tempi nostri. A questo risponde Orazio:

— — — *Licuit, semperque licebit*
Signatum praesente nota procudere nomen. (1)

Nè mi potrei mai immaginare che voi mi rispondeste qui nel modo che sogliono alcuni, cioè che *semper licuit*, mentre la lingua Latina non era perduta: ora ch' ella è perduta, non esser lecita la formazione dei nuovi vocaboli. Per certo costoro pensano poco a quello che dicono. Se la lingua Latina è perduta, come possiamo noi scriver Latino? e come è ella perduta, se il fiore e la bellezza sua si conserva in tante prose e versi? e come è ella perduta, se oggidì questa sua bellezza non solo s' intende, ma s' usa in modo, che si può dir con verità, che a questi tempi si scrive meglio che s'abbia fatto dopo quella felicissima età di Cesare, e d'Augusto? Ardirò di dir piú oltre, cioè ch' io tengo per fermo che oggidì molti intendano ed usino più la proprietà e la bellezza della lingua Latina, che non intendevano ed usavano assaissimi gentiluomini Romani al tempo di Cesare, e d'Augusto: e la ragione è in pronto; perciocchè noi la impariamo da Cicerone, da Cesare e dagli altri, i quali per giudizio di tutti gli antichi furono peritissimi di detta lingua: e coloro per lo più si contentavano d'impararla da' suoi domestici e dal popolo. La qual cosa quanto sia pericolosa ne può far fede Marcantonio Oratore celebrato

(1) In Arte Poet v. 58.

da Cicerone, il quale per la testimonianza del medesimo Cicerone, (*de Clar. Orat.*) *inquinate loquebatur*: il qual vizio non oppone a Marco Crasso: perciocchè egli non si contentò della lingua popularesca, ma imparò la buona Latinità da Terenzio e dagli altri buoni Scrittori: come ammonisce Cicerone ne' libri dell' Oratore, che si dee fare. Se adunque è vero, come è verissimo, che la lingua Latina oggidì si conserva e si sa e s' usa da molti che l' hanno imparata in quelli medesimi libri ne' quali eziandio anticamente la imparavano coloro che la volevano saper da dovero; perchè vorremo noi dire che quella sentenza d' Orazio:

— — — Licuit, semperque licebit
Signatum praesente nota procudere nomen,

non convenga a' tempi nostri? E perchè doverà esser biasimata ne' buoni scrittori de' tempi moderni la innovazion de' vocaboli, la quale fu sempre lodata ne' buoni scrittori de' tempi antichi? Qui si potrebbe rispondere che la formazione de' nuovi vocaboli si può dividere in due spezie; perciocchè alcuni si formano per necessità, alcuni per ornamento. Dirà adunque alcuno, esser lecito a noi moderni formar nuovi vocaboli per necessità, come sarebbe a dire, per esprimere molti concetti di Filosofia e di Teologia; ma non già per ornamento, come è questo vocabolo *floricomus*. Ed io rispondendo dico, che per le cose sopraddette si può veder chiaramente, s' io non m' inganno, che tutto quello ch' era lecito e laudabile ne' buoni scrittori antichi, è parimente lecito e laudabile ne' buoni scrittori moderni. E chi è così ignorante che non sappia che i poeti antichi Greci e Latini si godevano di formar nuovi vocaboli per ornare i loro versi? Chi non sa che *velivolus*, *auricomus*, *silvifragus*, *fluentisonus*, *odorisequus*, *noctiluca*, *silvicultrix*, *celerivolus*, *multivolus* e mille altri vocaboli, non sono proprj della lingua Latina, ma formati da' buoni poeti per ornamento de' loro versi, e non per necessità? Ed essendo diverse

vie di formar vocaboli, non è dubbio che una delle più usate da' poeti è quella che di due vocaboli ne fa uno; e meritamente: perchè così fatti vocaboli rendono la orazione molto leggiadra e florida, ed hanno molto del significativo: perciocchè in una parola rappresentano all' intelletto più concetti. Per le cose che abbiamo dette, a me pare che si possa concludere, che anco gli Scrittori moderni possono senza biasimo, anzi con laude, formar nuovi vocaboli non solamente per necessità, ma eziandio per ornamento; massimamente i poeti; a' quali credo che faccia grandissima ingiuria chiunque gli vuol privare di questa facultà bellissima d' ornare i loro poemi. È bene il vero, che la formazion de' vocaboli non si conviene ad ognuno; perciocchè richiede un giudizio eccellente, e bisogna che 'l resto della orazione sia tale, che dia autorità al vocabolo nuovo che s' interpone in essa, come una stella: e bisogna esser parcissimo, e formargli in modo che abbiano similitudine ed analogia con gli altri vocaboli formati e innovati da ottimi Scrittori. Ed osservando queste e simili circostanze, io non posso esser capace che si debba biasimare un poeta moderno che per ornamento de' suoi versi formi un vocabolo: come per esempio il Navagero trova formati da buoni poeti antichi questi vocaboli, *ignipotens*, *armipotens*, e forma a questa similitudine *silvipotens*: e chi sarà così rigoroso, per non dir peggio, che ardisca di biasimare il Navagero, dovendolo lodare? Virgilio osservò che Lucrezio, o un altro poeta prima di lui, avea formato *lauricomus*, ed a questa similitudine formò *auricomus*, ed un altro *silvicomus*. Se adunque un altro ad imitazion di costoro formerà *floricomus*, perchè sarà men laudabile, e men bello *floricomum ver* che *lauricoma silva*, *silvicomus mons*, e *auricomus foetus*? Non vi pare cosa leggiadrissima, che in un vocabolo sonoro e molle si rappresentino alla immaginazione le chiome della Primavera fatte di fiori? A me pare certamente cosa leggiadrissima; e non mi posso immaginare che non paja a voi ancora il me-

desimo. Nè bisogna dire, se questo vocabolo fosse così bello come tu 'l fai, i poeti antichi l'avrebbono formato prima di te: perciocchè questo è un ritornare a quello che di sopra abbiamo confutato; cioè, questo non è altro che voler privare non solamente gli Scrittori moderni, ma ancò gli antichi della facultà del formar nuovi vocaboli: perciocchè, se questa obbiezione fosse ragionevole, quando Pindaro formava nuovi vocaboli, si poteva parimente dire a lui che non erano buoni: perchè, se fossero buoni, Orfeo, Lino, Omero, Esiodo gli avrebbono formati prima di lui: e questo medesimo si poteva dire contro de' Poeti che formavano nuovi vocaboli al tempo d' Augusto. Adunque, per far fine, replico, che le ragioni sopraddette mi persuadono che sia lecito eziandio a questi tempi formar nuovi vocaboli; e per mio giudizio tanto manca che la formazion de' nuovi vocaboli meriti biasimo, che è degnissima di laude, quando ella ha le sue debite circostanze. Fratello onorando, io ho voluto farvi questo discorso, sì perchè intendeste la mia opinione, parendomi che questa quistione non sia di poca importanza, massimamente nella poesia; sì perchè, non avendo io voluto scancellar ne' miei versi questo vocabolo *floricomus*, voglio che sappiate, ciò non esser avvenuto perchè io faccia poca stima del vostro giudizio; il quale io stimo sommamente; ma perchè da ragioni, se non necessarie, probabilissime, io sono costretto a dissentire in questa parte da voi: il che fu sempre lecito e sarà fra i professori delle lettere, senza alcuna diminuzione dell' amicizia. Mi vi raccomando con tutto il cuore.

II.

A M. GALEAZZO FLORIMONTE

VESCOVO D' AQUINO.

ARGOMENTO

Risponde a certe obbiezioni fatte dal Florimonte contra i suoi versi, mostrando ch' è lecito prendere a trattare d' una volgar materia scritta da altri.

L' invettiva fatta da V. S. contra de' miei versi, non è bastante di farmi fare contra di lei lo Scazzonte che ella desidera: perchè io non sono tanto innamorato delle mie composizioni, che m' adiri contro di coloro che non le approvano; e meritamente: perchè, se a me non piacciono alcune composizioni di poeti famosissimi, come sarebbe a dir d' Orazio di Catullo e di Properzio, perchè mi doveria parer strano che le mie dispiacessero altrui? E certamente sono stato in dubbio se dovessi rispondere alle obbiezioni che mi fate, e volentieri mi sarei taciuto, se non avessi sospicato, ciò nascer da una superbia occulta la quale non si curasse che i miei versi fossero biasimati da voi, essendo stati lodati da uomini i quali ragionevolmente sono più atti a giudicar di così fatte cose, che non siete voi. Le obbiezioni son queste, che la materia è trita e senza invenzione e detta senza spirito poetico. Quanto alla prima parte, rispondo, che parimente dovete biasimare i poemi d' Omero, di Sofocle e d' Euripide: perchè la guerra Trojana e le favole trattate da questi Tragici erano tutte materie vulgatissime e notissime agli uomini de' tempi loro. Ma, per dar qualche esempio di poemi brevi e più conformi al mio, che direte voi della prima Ode d' Orazio, la quale da ognuno

è tenuta bellissima? non vi pare che quella materia sia molto trita e comune? Chi è tanto grosso e materiale che non abbia impresso nel suo animo, e non sappia per la cotidiana esperienza, che nella vita umana sono diverse professioni? attendendo altri agli onori della repubblica, altri alla mercatanzia, altri all' agricoltura, ec. In quell' altra Ode tanto bella fatta per la morte di Quintilio, che cosa trovate voi quanto alla materia ed all' invenzione, che non abbia del trito e del comune? Lodando Quintilio, dice che egli era modesto, fedele, giusto e verace. Confortando Virgilio alla pazienza, dice che, quantunque egli fosse un altro Orfeo, non potria ritornare il morto in vita: e conclude, la pazienza esser il rimedio delle tribolazioni. A me pajono tutte queste cose molto comuni e trite, e così credo che pajano ancora a voi. Ma se volessi addurre tutti gli esempj de' poeti eccellentissimi Greci e Latini, che mi sovvengono a questo proposito, empirei parecchi fogli. Or vengo alla seconda parte; perchè potreste dire che un poema può essere eccellente, tutto che la materia sia trita e comune; ma non sarà già eccellente, se quella materia non sarà ornata di concetti rari, arguti, esquisiti e lontani dalla comune intelligenza. A questo rispondo, che, quando ciò fosse, vero, Ovidio, Stazio, Marziale, Claudiano e molti altri simili sariano poeti più eccellenti d' Omero, d' Esiodo, di Teocrito, di Virgilio, di Catullo, di Tibullo e degli altri simili. E per venire al particolare; Omero ne' suoi poemi ed Ovidio nella Metamorfosi, fanno parlar molte persone: or fate, per vostra fede, il paragone, e vedrete che Omero non fa loro dir quasi mai concetti che non siano tolti dall' uso comune: di maniera ch' ogni mediocre ingegno non teme d' affermare che anco esso in quelle materie sapria senza difficultà trovar così fatte sentenze. Per contrario, in Ovidio troverete materie trattate con invenzioni tanto ingegnose, sottili e lontane dalla capacità comune, che eziandio un bello ingegno è costretto di confessare ch' egli con gran-

dissima fatica potria in quelle materie trovar così fatti concetti. Paragonate l'Elegie del medesimo Ovidio con quelle di Tibullo, e se vorrete dar la sentenza in favor di colui che usa concetti più rari e men comuni, sarete sforzato a preporre tanto Ovidio a Tibullo, quanto Tibullo è preposto a Ovidio da tutti coloro che s' intendono di poesia. Nè credo io che Omero e gli altri poeti principali siano camminati per questa via diversa dagli altri poeti inferiori per difetto d' ingegno e d' invenzione, ma piuttosto per abbondanza di giudizio: come quei che sapevano, il poema tanto più dilettare, quanto ha più del dolce e del vago, e quanto più imita la natura; di che fa professione il poeta: ed insieme conoscevano, queste virtù poetiche dilettarsi più di concetti conformi all' uso comune, che di sensi arguti ed estraordinarj. E che ciò sia vero, ditemi, per vostra fede, quando leggete in Catullo quello Endecasillabo: *Lugete, o Veneres, Cupidinesque*, o quell' altro: *Acmen Septimius suos amores*, o quell' altro: *Miser Catulle, desinas ineptire*; non vi sentite voi liquefare il cuore di dolcezza? nondimeno non trovate in questi versi sensi reconditi e sottili; anzi sono tutti semplicissimi e naturali. Se io volessi distendermi in questa materia, potrei fare un giusto volume; e forse lo farei, se non avessi la mente occupata in pensieri diversissimi: ma per ora quello che io ho detto, vi potrà bastare. Aggiungendo, che quantunque il modo di trattar le materie, come le tratta comunemente Omero e gli altri poeti principali, paja più facile di quello che usano i poeti inferiori i quali affettano d' ostentare il loro ingegno, e di dir concetti rari ed inauditi, nondimeno è tutto il contrario. E si verifica in questo proposito maravigliosamente quella sentenza d' Orazio: (1)

Ex noto fictum carmen sequar: ut sibi quivis
Speret idem; sudet multum, frustraque laboret

(1) In Arte Poet. v. 240.

Ausus idem. Tantum series juncturaque pollet;
Tantum de medio sumtis accedit honoris.

Adunque per le cose dette mi par di poter concludere, che quantunque la materia della mia Epistola fosse trita e trattata con concetti noti e comuni, non però si potria inferire che 'l poema fosse vile e plebeo: ma volendola biasimare, bisogna dimostrare i concetti esser vili, sciocchi, male incatenati ed espressi senza leggiadria; le parole, le locuzioni ed i numeri aver del plebeo e del vulgare: ed allora crederò che la riprendiate con ragione. Ma ditemi di grazia, perchè vi par la materia di detta Epistola così trita? conciossiachè nella lingua Latina altri che Orazio, ch' io mi ricordi, non l' ha trattata. Se mi risponderete, che la giudicate trita, perchè ogni mediocre ingegno l' ha impressa nell' animo; vi risponderò che anche ogni mediocre ingegno l' aveva impressa nell' animo al tempo d' Orazio: nondimeno egli, ch' era uomo di perfettissimo giudizio, non lasciò di trattarla in quella bella Ode che comincia: (1) *Donarem pateras;* perchè, come di sopra v' ho dimostrato, i buoni poeti non ischivano di trattare materie note alla intelligenza comune; e le trattano volentieri con concetti comuni. Se direte, che la chiamate trita, perchè ella è già stata detta da Orazio; vi risponderò che nessuno fu mai biasimato per trattar una materia detta da altri, anzi fu sempre lodato trattandola bene. E quando voi aveste più gusto e più intelligenza, che non avete, delle bellezze della lingua Latina e della poesia, e vi metteste ad esaminare attentamente i modi e le vie con le quali io dico i miei concetti, ho ferma opinione che mutereste eziandio sentenza, quanto alla terza obbiezione, e confessereste, la mia Epistola non esser così priva di spirito poetico, come vi pare ora. Conciossiacosachè l' eccellenza del poeta non consiste nello schivare i concetti comuni, ma sì ben nel saperli dir con forme e maniere non comuni. E chi sa

(1) Car. lib. IV. Od. VIII.

far questo, è poeta eccellente e fa maravigliar chiunque ha gusto di poesia: come per esempio, qual concetto può esser nè più trito nè più comune di questo? *Vere aranda est terra*: ma quanto egli è più trito e più comune, tanto è più divino e maraviglioso lo spirito poetico di Virgilio che lo esprime con questa stupenda maniera: (1)

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit;
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.

Qual concetto è più trito e più comune di questo? *Un arbor s' innesta in un altro arbore;* ma tanto più stupendo è Virgilio che 'l dice con queste figure divine: (2)

Inseritur vero ex foetu nucis arbutus horrida;
Et steriles platani malos gessere valentes.
Castaneae fagos, ornusque incanuit albo
Flore pyri, glandemque sues fregere sub ulmis.

Ma tutta la Georgica è piena di questi splendidissimi lumi. E però quantunque nè la materia nè i concetti siano nuovi, non trovati da Virgilio, ma tolti da Varrone e dagli altri scrittori che hanno trattato dell' agricoltura; nondimeno la divinità delle forme e maniere con le quali egli ha saputo esplicar queste cose già note e comuni, ha tanta forza, che comunemente si crede, nessun poema esser così perfetto, come questo. Esaminate adunque, se potete, la mia Epistola con queste regole, e poi potrete giudicar con qualche fondamento s' ella ha spirito poetico o nò: altramente sarà cosa più conforme alla vostra modestia sospendere il giudizio. Vi dirò più; che quello che ho concluso poco innanzi, non si verifica solamente nei Poeti, ma anco negli Oratori, secondo il giudizio di Cicerone, il quale afferma, Demostene aver acquistato il primo luogo fra gli Oratori, per esser egli più figurato

(1) Georg. lib. I. v. 43.
(2) Georg. lib. II. v. 69.

di tutti gli altri. Ma lasciamo da parte questa nuova quistione, perchè a me basta d' aver detto brevemente la mia opinione d' intorno a' poeti; nè credo ingannarmi: nè mai ho parlato con alcun uomo famoso nella poesia, che avesse senso diverso dal mio. Pur credete *in hoc genere* quel che più vi piace: che per questo non rimarrete d' esser buon Vescovo: siccome io non rimarrò di creder che la mia Epistola sia buona, mentre non la saprete biasimare con miglior ragioni, che non avete fatto insino a qui. Non ho scritto di mia mano; perchè iersera tolsi una medicina: e questa è stata la vostra ventura: perchè altramente non avreste ricevuta questa lettera in così leggibil lettera.

Di Roma a' 22. di Febraro 1549.

III.

A M. ULISSE BASSIANO

ARGOMENTO.

Difende alcune forme di dire da sè ne' suoi versi usate.

Quanto alle cose annotate ne' miei versetti, vi ringrazio di cuore; che non si può mai essere scrupoloso abbastanza per l' onor dell' amico: ma quanto a quel (1) *miscent olim proelia*, io crederei di poter giurar sicuramente che i poeti buoni l' hanno usato nel modo che l' uso io: e quando ancora ciò non fosse vero, crederei che si potesse usare per questa ragione: *olim*, *et quon-*

(1) Carm. l. VI. ad Piccolom. XXV. e pure in questo luogo ora si legge „ quondam „.

dam, sapete che sono sinonimi, e s' usano in un medesimo modo: ed è cosa certa che Virgilio usa *quondam* col tempo presente, quando dice. (1)

Alitis in parvae subito conlecta figuram,
Quae quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna per umbras.

Pur per assicurarci meglio, vi prego che non vi sia grave, quando vi sarà comodo, di parlarne con M. Basilio il quale non avendo in pronto alcuno esempio, potrete con esso lui guardare sul Tesoro della Lingua Latina, e su le Osservazioni dell' Eritreo, il quale ha raccolte per alfabeto tutte le parole usate da Virgilio; il qual libro ha M. Basilio: ed in Virgilio mi pare di certo aver veduto *olim* usato come l' uso io. (2) *Vulgi stultitiae:* parlando con un filosofo, io parlo filosoficamente; e i filosofi dimandano *vulgus et stultos* tutti coloro che si lasciano agitare dalle passioni dell' animo: e *stultus* in Latino non si piglia sempre nella significazione che pigliamo noi comunemente *pazzo;* ma s' oppone a *sapiens.* (3) *Loquendum valet? id beare lingua nos praedivite; id est latinitati suos reddere pristinos honores.* Queste parole a me pajono assai ben chiare, perchè, avendo detto che 'l Riccio nota tutte le cose che appartengono alla proprietà ed eleganza della lingua Latina, soggiungo: *id est, beare nos lingua praedivite; id est, reddere latinitati suos honores.* E questo modo di parlare è usitatissimo nella lingua Latina, e vuol dire, il far questo, è uno arricchirci della lingua Latina, ed un restituir la Latinità nel suo antico onore. Così dice colui, *Hoc est laedere dum juvatis, hoc est non admittere ad aucupem*

(1) Æneid. lib. XII. v. 862.

(2) Non trovandosi ciò ne' versi del Flaminio, si può dire o che sia perduta la composizione, in cui egli l' adoprò, o che egli venisse in risoluzione di mutarlo.

(3) Carm. lib. VI. ad Riccium. XXIII.

volucres. (1) *Cantare carmina, versus*; non è elocuzione umile, ma frequentata da' buoni poeti, se non m' inganno: io non vi saprei dire all' improvviso esempj, perchè io non soglio notare fra me stesso quelle cose che mi pajono esser usate comunemente da' buoni scrittori: ma essendo *cantare* vocabolo buonissimo, e similmente *carmen*, io non so vedere, perchè debbano fare una locuzione umile accompagnandogli insieme: perchè *canto* non è manco buon vocabolo di *cano*, e pur si dice *canere carmina* da' buoni poeti: a me pare più umil locuzione *cantitare carmina*, e nondimeno Cicerone l' usa. Aggiungo, che se vorrete ben considerare, vedrete che *cantat* in quel luogo ha di gran lunga più forza che non ha *probat*: perchè il dir, che quella Signora *cantat meos versiculos*, significa che ella se ne diletta maravigliosamente: il qual concetto non esprimeria questo vocabolo *probat*. (2) *Hic habemus hoedos, pullos, optima vina*: queste parole non si ponno pigliar in mala parte, se non da uomini o maligni o di poco giudizio: perchè tutto l' Endecasillabo mostra ch' io sono ancora ammalato; e questi cibi sono necessarj agli ammalati: *et tantum abest*, che *hoedus et pullus* si debbano mettere per segni di gola o di delizie; che Orazio gli mette per segni di frugalità: ed in vero non credo che alcun goloso volendo descrivere cibi delicati e desiderabili, si curasse di descrivere precipuamente *pullos et hoedos*: che saria tenuto un gran goffo dagli altri golosi. Quanto ai versi di M. Basilio, io vi ringrazio con tutto il cuore dell' avviso che mi date, e prego quanto più posso, che sempre mi dichiate liberamente tutto quello che giudicate appartenere ad ogni sorta di ben mio: che questo è il maggior benefizio che possa far un amico all' altro: nè guardate all' età; che, per non dir a voi le laudi vostre, dico sol questo, che un mediocre prudente è atto a dar consiglio ad un pru-

(1) Carm. lib. VI. primae editionis Comin. XXXV.
(2) Carm. lib. VI. ad Mar. Victor. LVII.

dentissimo, quando il prudentissimo consulta delle cose proprie: nelle quali è una gran maraviglia come c'inganniamo facilmente. Io vi posso ben dire con somma verità, ch'io non avea disegnato di far stampare detti versi tanto per amor mio, quanto per satisfare ad esso M. Basilio: il quale credo che gli abbia fatti a questo fine; come quello che m'ama, ed è desideroso d'onorarmi. Nella esortazion che mi fate della poesia de' Salmi, *agnosco amorem et pietatem tuam:* ma non pregate tanto me, quanto nostro Signor Dio che mi dia la facultà e lo spirito che si richiede a così grande impresa: io vi prometto che non farò resistenza alcuna, se mi sentirò muovere il cuore; nè potrei, ancora ch'io volessi; ma se valesse a far giudizio del senso presente, io vi direi che passeranno molti mesi che non averò voglia di far versi: e nel vero, come l'umor s'è sfogato, soglio riposar lungo tempo: ed è molto al proposito: perchè come io comincio, non so finire; e la fatica continuata con la vigilia mi consuma gli spiriti e la vita: e Dio volesse che non avessi mai più instinto di far nè versi nè prose; che la mia età e mala complessione *est jam donanda rude:* a voi giovani toccano queste così fatte imprese. Vi prego che scrivendo al Bolognetto, lo ringraziate assai del grande onore che m'ha fatto; e diteli da parte mia, che ha fatto come sogliono fare alcuni gran Signori, i quali, quando sono in villa, son presentati da qualche contadinella che porta loro un canestrello di cerase, ed essi le donano 25. scudi. I versi del vostro M. Claudio (1) non mi dispiacciono: ben mi pare che 'l suo genio sia più atto a far versi maggiori. *Sed jam satis. Vale in Domino.* In Civitella. A' 30. di Maggio. Del 49. Raccomandatemi al nostro M. Basilio, al quale io non rispondo, perchè non bisogna.

(1) Tolomei; di cui veggasi a car. 92. 93. e fra le testimonianze d'illustri Poeti intorno al Flaminio.

IV.

A M. ULISSE BASSIANO

ARGOMENTO.

Biasima alcuni Critici che pretendono che le loro censure sian' accettate come oracoli; e dà il suo giudizio intorno agli Epigrammi, all' Ode e simili componimenti.

Da poi che io aveva scritto, ho ricevuto la vostra: la quale ancora che non abbia bisogno di risposta, pur voglio scriver dieci linee per mia satisfazione. Io so che si trovano de' Critici tanto superbi, che hanno per male se le loro censure non sono accettate come oracoli: ma io reputo questa una odiosissima tirannia: e siccome, quando i miei amici m' hanno detto il lor parere, io voglio che mi lascino far quello che mi piace delle mie composizioni; così desidero che anch' essi facciano quello che lor piace delle loro; però non fo replica alle vostre repliche: bastando d' avervi detto una volta il mio parere; ma non posso già tenermi per l' amor che vi porto, ch' io non vi dica in universale il senso mio. Dico adunque che gli Epigrammi, l' Ode e simili poemi, per mio giudizio, sono simili alle gemme piccoline: le quali, se non sono finissime e purissime, non sono d' alcun valore: e però molte cose sono lecite nelle prose e ne' poemi grandi, che non sono lecite in questa sorta di poemi piccoli: ai quali ogni minima ombra d' imperfezione nuoce grandemente appresso di coloro che hanno buon giudizio, de' quali soli *in hoc genere* dobbiam far conto. Ma non crediate già che io mi ponga in questo numero: anzi vi dico *ex animo* e vi priego e conforto per l' affezion grande che io vi porto, che non seguitiate mai il mio parere,

se non quando la vostra coscienza vi dice chiaramente che egli sia buono: e tanto meno ve ne dovete fidare, perchè sono già molti anni che 'l mio studio versa tutto nella Scrittura Santa, in San Bernardo, ed altri simili scrittori, i quali siccome sono elegantissimi nelle sentenze, così sono barbari nelle parole: e come si dice a casa mia, *Chi pratica nel molino, s' infarina*; però è cosa molto verisimile che io m' inganni spesso *in hoc genere*: e però io non vorrei mai farmi giudice delle composizioni di coloro che mi danno più credito di quello che mi si conviene. Mi sarà grato che m' avvisiate dove Cicerone usa, *satis superque facere alicui*: perchè, quantunque io reputi questa locuzione esser rarissima, nondimeno essendo ella di Cicerone, non lascerò d' usarla, purchè io possa mostrare il luogo a chi mi volesse riprendere; ma non ardirei già d' usar *reputo*, in luogo di *puto*: se nol vedessi usato in questo modo da Cicerone, o da qualche altro, *qui sit bonus latinitatis auctor*. Il piacer che ho di ragionar con voi, m' ha fatto esser più lungo nello scrivere, che non pensava. *Vale in Domino*.

In Civitella. A' 27. di Giugno. 1549.

V.

A M. GALEAZZO FLORIMONTE

DA SESSA.

ARGOMENTO.

Rallegrasi del di lui soggiorno in Milano; poi li presenta una utilissima e facilissima istruzione per bene ammaestrare i fanciulli nelle Lettere.

La vostra lettera mi è stata una delle più care lettere che m' abbiate mai scritto: perciocchè, a dirvi il vero, io sono stato sempre con l' animo sospeso, da poi che il Reverendissimo Contarini vi fece preferire Milano a Loreto; non già ch' io non avessi tutta quella buona opinione dello Illustrissimo Signor Marchese che si dee avere d' un gentilissimo e virtuosissimo Signore; ma mi pareva strana cosa vedervi nella vostra vecchiezza ritornare alla vita delle corti, massimamente sapendo quanto solevate gustare quella vita filosofica di Sessa con la vostra vecchierella. Ora m' avveggo ch' io sono un grande sciocco, non avendo in tanti anni che son visso con voi, potuto conoscere la vostra natura, che mi pare quella d' un Aristippo riformato: del quale dice Orazio: (*Epist. lib.* 1. *ad Scaevam*) *Omnis Aristippum decuit color et status et res*. Dico questo, perciocchè le vostre lettere vi rappresentano tanto giocondo e tanto contento, che tutti ci siamo rallegrati leggendole. È adunque necessario o che voi siate un grande ambizioso e avidissimo di favori ed un grande ipocrita, avendo mostrato di non istimargli; o che il Signor Marchese vi faccia tante carezze, ch' abbiate mutato natura e desiderj. Ma, come si sia, a me piace di vedervi dove siete: che nel vero un così buon

compagno, come siete voi, non meritava di stare sepolto in quelle paludi di Loreto; sicchè mi congratulo con voi del vostro stato e della vostra contentezza, e prego il Signor Dio che ve l'accresca di bene in meglio. Ma vegnamo alla istruzione che mi dimandate con tanti prieghi, e con tante minacce. Non sapete voi già tanto tempo fa, ch'io sono inimicissimo di quelle lunghe vie, anzi laberinti di Gramatica, per li quali costumano tanto i maestri di condurre i poveri discepoli? Sicchè non bisognava che con tanta istanza mi stimolaste a scrivere l'ordine che mi piace: perciocchè è pochissima fatica a contentarvi; ma non ho già speranza di contentare quel maestro del quale mi scrivete; tanto siamo differenti di giudizio. Dico, fratello carissimo, che s'io avessi a istruire alcuno nella Gramatica, ed abilitarlo agli studj della eloquenza, primieramente gli farei conoscere con quella brevità ch'io sapessi, il nome ed il verbo: e come gli avessi insegnate le declinazioni, che s'imparano nel Donato, di modo che egli le sapesse a mente, e sapesse prontamente il volgare de' casi e de' tempi, io gli darei una brevissima informazione de' verbi attivi e passivi, ec.; e delle loro costruzioni. Il medesimo farei de' comparativi, superlativi, participj e dell'altre parti dell'orazione: le quali cose si potrebbono espedire almeno in tre mesi. Fatto questo comincerei a leggergli l'Epistole di Cicerone, non già tutte indifferentemente, ma quelle che fossero più facili e quanto alli concetti e quanto alla forma del dire. Leggendo queste Epistole, attenderei a esercitarlo nella Gramatica ch'io gli avessi insegnata, facendogli riconoscere i nomi ed i verbi con le loro costruzioni: e tutti i latini ch'io gli dessi, vorrei che fossero formati di quelli vocaboli, e locuzioni che si contenessero nella lezione, variando solamente i tempi ed i numeri ec.: di maniera che egli non sapesse nè altri vocaboli, nè altri modi di parlare, che quelli ch'egli imparasse in Cicerone. Come io l'avessi esercitato un tempo in questo modo, e volessi esercitarlo in comporre

Epistole, siccome Cicerone saria stato suo maestro nel latinare, così vorrei che il medesimo l'esercitasse nello stile dell'Epistole: perch' io gli tradurrei in volgare ogni giorno otto, o dieci linee: e come egli le avesse fatte latine, le correggerei col latino di Cicerone, mostrandogli di clausula in clausula quanta differenza fosse dalla latinità sua a quella di Cicerone: ed userei gran diligenza in fargli conoscere questa differenza e l'eleganza di quello scrittore. Questa senza dubbio è una esercitazione bellissima e sicurissima: nè so vedere chi sia così superbo, che dovesse sdegnarsi di usarla con li suoi discepoli: perciocchè, essendo necessario dettar loro un tema, chi sarà tanto arrogante che speri di doverlo formar bello ed elegante al pari di Cicerone? E chi non sa che negli studj dell'eloquenza è di grandissima importanza la forma dello scrivere che s'impara nella puerizia? Se adunque noi possiamo imprimere per la via che ho detto, nella mente de' discepoli la idea dello stile di Cicerone, perchè vogliamo noi più presto la idea del nostro? A questo si aggiunge, che oggidì sono pochissimi che conoscano la purità della lingua latina, non che la sappiano mostrare, nè mettere in uso: e, per dirvi quello ch'io sento, non ho veduto ancora alcuno Tedesco che si avvicini a questa eccellenza; sicchè, essendo quel maestro Tedesco, io non mi fiderei punto del suo stile. E se mi diceste che non bisogna esser tanto scrupoloso, vi risponderei che tutto quello che si fa come cosa onesta, si dee far nel miglior modo che si può. Sicchè dovendo alcuno affaticarsi per diventare eloquente, io il consiglierei, che si esercitasse per la migliore e più sicura via che si potesse: la quale non dubito punto, che sia questa; massimamente a questi nostri tempi: ed oltra che il discepolo imparerebbe la bellezza della lingua latina, ed una testura di orazione numerosa e piena di dignità, di maniera che poi non saprebbe scrivere altramente, dico, ch' egli empirebbe la mente sua di concetti belli e prudenti, quanto alla civilità; che di così fatte cose ora parliamo; là dove forse

la empirebbe di concetti sciocchi ed inetti, se 'l maestro lo esercitasse con le sue invenzioni. E perchè volendo scrivere latino, naturalmente prima noi formiamo ciascuno concetto con la locuzione della nostra lingua, ed avendo già notato la latina sua corrispondente, ella si presenta facilmente alla memoria: perciò vorrei sopra tutto che nel leggere Cicerone e gli altri buoni scrittori, il maestro mettesse ogni diligenza in confrontar le locuzioni latine con le volgari che rispondono loro: come sarebbe a dire, quando legge in Cicerone (*ad Lent. lib.* 1. *Epistol.*) *Laboratur vehementer*, avvertirei il discepolo, che questo è quello che si dice in volgare, *ci è da fare assai, le cose vanno molto strette;* e vorrei ch' egli mi sapesse render conto di queste forme di parlare di giorno in giorno: e gli darei delli volgari sopra la lezione, obbligandolo a rispondermi con le locuzioni di Cicerone: e se egli non potesse durare la fatica di mandare alla memoria le Epistole intere ch' io gli leggessi, vorrei almeno scegliere di ogni Epistola, in un libretto, quelle locuzioni che mi paressero più segnalate, e farei ch' egli le imparasse a mente. Quanto alli concetti delle Epistole, vorrei che il maestro accomodandosi alla capacità del discepolo, gli andasse con destrezza discoprendo l' ordine e l' artificio che usa Cicerone nel trattare le materie, come sarebbe a dire in raccomandar alcuno, in narrar un viaggio, in accusar altrui ec. E quando il discepolo avesse già fatto qualche progresso, gli comincerei ad insegnare gli ornamenti della orazione, cioè quelli che da' Retori si dimandano tropi, e le figure delle parole e delle sentenze, acciocchè cominciasse a discernere le bellezze degli stili e la differenza delle locuzioni proprie e figurate. Quando io l' avessi esercitato in questo modo nelle prose alquanto spazio di tempo, comincerei a leggergli Virgilio. Nè bisogna dire che Quintiliano ha diversa opinione: perciocchè è gran differenza da quelli secoli, ne' quali si parlava latino, a questi, ne' quali la lingua latina ci è del tutto forestiera; ed oltre a questo

dico che io non farei grande stima del giudizio di Quintiliano, massimamente sapendo che la lingua de' poeti, quantunque ella sia diversa dalla lingua delle prose, è tutta fondata nella proprietà della lingua: la quale proprietà s' impara nelle prose e ne' Comici, i quali usano lo stile prosaico, benchè scrivano in verso: ed essendo ciò vero, è cosa ragionevole che si cominci a imparare la lingua latina dalle prose. Aggiungerò un' altra cosa, e poi farò fine a tante ciance. Vorrei che il maestro facesse scrivere al discepolo tutte l' Epistole ch'egli leggesse, ma da poi che l' avesse lette e ben dichiarate: perciocchè non potreste credere quanto giovi questo esercizio all' eloquenza; di che rende testimonianza Demostene, il quale volendosi far lo stile di Tucidide familiare, trascrisse tutta la sua Istoria più volte dal principio insino al fine. Ecco ch' io vi ho detto quell' ordine che giudico dover esser utile alli figliuoli del vostro Illustrissimo padrone; ma, come ho detto di sopra, vi rendo certo che questo giudizio non piacerà al maestro loro; tanto il veggo lontano da questa via, per relazione che voi me ne fate nelle vostre lettere. E', se volete ch' io vi dica il mio parere ancora in quello di che io non sono richiesto, io non consiglierei mai alcuno che imparasse da Oltramontani la lingua latina, massimamente l' esercizio del comporre: perciocchè a me pare che queste delicature siano tanto proprie d' Italia, che i forestieri che ci hanno ormai tolto la roba, la libertà ed ogn' altra cosa, non si possano usurpare la laude della vera eloquenza; non dico già che non si trovino ancora nelle altre nazioni uomini eloquenti e d' ottimo giudizio, fra li quali numero principalmente il Reverendissimo Cardinal Polo; ma sono tanto rari, che non fanno numero, se vale a dire il vero. Io m' era dimenticato dirvi, che non vorrei che colui che attende allo studio della eloquenza, leggesse per lungo spazio di tempo altri libri, che Cicerone e Cesare e Virgilio ed Orazio; non aggiungo a questi Terenzio, Catullo e Tibullo, i quali sono elegantissimi; perciocchè mi pare che possano nuocer troppo

alla creanza Cristiana: alla quale il maestro dee attendere sopra ogn' altra cosa; e perciò bisogna che nel leggere anco Virgilio, e gli altri che ho lodati, abbia gran discrezione, non leggendo alli discepoli indifferentemente ogni cosa, ed in quelle cose che legge, lodando sempre tutto quello che si conforma. Ma lascio questa parte a voi, che siete buon Teologo: e non parlo degli esercizj pertinenti alla Rettorica, perciocchè non è ancora tempo di pensar tant' oltra. Ecco che per amor vostro io sono entrato in scena, e ci sono stato più lungamente, ch' io non mi aveva proposto, rappresentando la persona dell' Umanista, la quale già tanto mi piacque, ed ora mi pare cosa tanto vana. Ma basta, che i vostri preghi hanno avuto più forza, che forse non pensavate; benchè se non fossero stati per se medesimi bastanti, essendo stati favoriti dal Reverendissimo Legato e dalla Signora Marchesa, non potevano non essere efficaci. Tutta questa nostra compagnia è sana e vi saluta. In Viterbo alli 6. di Agosto del 42. Di grazia non mostrate questa lettera, perchè non vorrei che quel maestro si dolesse di me; e in vero mal volentieri son venuto al suo particolare; ma volendo fare il debito in quello che mi richiedete, io non poteva far altro.

VI.

A M. LUIGI CALINO.

ARGOMENTO.

Istruzione per il di lui figliuolo.

Magnifico Signor mio. Se Vostra Signoria crede che io l' ami sommamente ed osservi, ella non s' inganna punto:

perchè ho conosciuto in lei sempre tanta bontà e tanta cortesia, che non mi terrei uomo, se non la osservassi ed amassi con tutto il cuore: ma non voglio già che restiate ingannato, credendo che l' ufizio che ho fatto in quella lettera, sia tanto segnalato indizio del mio amore singolare verso di voi, quanto mostrate di credere: perchè vi confesso ingenuamente che arei fatto il medesimo ufizio con quale altro si voglia gentiluomo, purchè mi fosse venuta l' occasione, e avessi avuto qualche buon mezzo di poterli dire il parer mio: perchè considerando che fra una moltitudine di uomini infinita si trovano tanto pochi che siano atti alla eccellenza delle lettere, sento un dolor grandissimo; quando veggo che quelli pochi di atti diventano inetti per colpa delli maestri; e dove avriano potuto illustrare il nostro secolo col lume delli suoi scritti, l' oscurano ed infamano con versi e prose ridicole e odiose. Adunque non solamente dall' affezione ch' io vi porto, fui mosso a scrivervi, ma molto più dal desiderio grande che ho di vedere che i tempi nostri fioriscano di buone lettere e d' ingegni: fra' quali ingegni ho sempre numerato quello del nostro M. Muzio; del quale avendo concetto una bellissima speranza, come potrei fare io che non mi dolessi sommamente, vedendo che così nobile pianta, per esser mal coltivata, degeneri: e d' onde si aspettavano frutti soavissimi ed eccellentissimi, si raccolgano labrusche e sorbe? E perchè mi domandate consiglio e rimedio, dico, Signor mio, ch' io non saprei darvi nè miglior consiglio nè più sicuro rimedio di quello che già vi diedi; e mentre quelle mie istruzioni furono osservate, gli scritti di M. Muzio facevano fede che elle fossero buone ed utili: come ora, essendo loro tanto degenerati, fanno testimonio che elle non siano più nè stimate nè osservate: benchè il quinterno delle Epistole che mi avete mandato, pieno di sensi e di parole inette, il dimostra chiaramente: perchè fra i miei ricordi, questo era il principale, che niuno maestro si riputasse mai nè tanto dotto nè tanto eloquente, che esercitasse

Messer Muzio in composizioni fatte e composte di proprio ingegno, ma sempre traducesse di latino in volgare qualche prosa di Cicerone, correggendo poi le composizioni del putto con le istesse parole di quel divinissimo scrittore: perchè tenendo questa via, era quasi impossibile che il putto non facesse un mirabile profitto; empiendosi l'orecchie e l'animo di sensi prudentissimi, di parole e locuzioni elegantissime, e di numeri e testure bellissime: ma questo vostro nuovo maestro ha giudicato che le sue ghiande siano più soavi che l'ambrosia di Cicerone: e se voi permetterete che vostro figliuolo si nodrisca di così nocivo e rustico cibo, credo di potervi affermare con verità, che egli nelle lettere diventerà un gran villano; (il che non permetta il Signor Dio) dove avevamo concetta certissima speranza che dovesse diventare un uomo divino. E perchè forse sareste più cauto e più diligente, se consideraste di quanta importanza sia questo mio ricordo, voglio parlare sopra ciò un poco a lungo, mostrandovi chiaramente (come spero) che a questi tempi è quasi più che necessario che gli maestri si astengano da esercitare gli scolari con le composizioni fatte di propria invenzione, e si degnino di preporre i divini scritti di Cicerone alle lor ciance inette e plebee e piene di corrotta latinità. E per procedere con qualche ordine, voglio prima, secondo il costume de' filosofi, fare alcuni fondamenti, sopra li quali fonderemo le conclusioni di questo nostro ragionamento. Dico, Signor mio, che niuno può insegnare quello che non sa. Appresso dico che le arti che s'insegnano per via d'imitazione, sono molto pericolose; e molti che potevano riuscire artefici eccellenti, per colpa della imitazione restano ignobili ed oscuri; come saria a dire, molti pittori oggidì sariano famosi ed illustri, se fossero cresciuti sotto la disciplina ed imitazione di Michel Angelo; ma sono pittori di catinelle, perchè la loro mala sorte diede lor per maestro il Moro da Savignano. Se adunque l'artifizio dello scrivere consiste sommamente nella imitazione, come nel vero consiste, è neces-

sario che volendo far profitto, abbiamo maestri eccellentissimi li quali abbiano concetta nella mente sua una bellissima forma di scrivere, e poi la sappiano esprimere, e rappresentare nel parlare e nello scrivere, proponendo alli discepoli una immagine bella e stupenda di eloquenza; nella quale mirando loro, e ponendo ogni studio ad imitarla e ritrarla, a poco a poco la loro mente s' innamori di quella eccellente bellezza, e finalmente concepisca e partorisca una forma ed una idea di scrivere simile a quella che è loro proposta dal maestro. Credo che questo breve discorso possa farvi conoscere chiaramente che coloro che ci vogliono esercitare nello scrivere, e ci propongono le composizioni fatte di proprio ingegno, ci ponno fare grandissimo danno, se non sono scrittori eccellenti: e questo è tanto vero, che vediamo oggidì pochissimi giovani uscire delle comuni scuole con fama di buone lettere e di eloquenza: perchè nel vero gli scrittori buoni furono a tutti i tempi rarissimi: di maniera che non ci dèe parer cosa strana che oggidì ne sia tanta carestia, considerando la miseria di questi secoli, nelli quali la lingua latina si acquista con tanti sudori, dove anticamente era a tutti comune e naturale; e li maestri sono ignorantissimi, dove allora erano peritissimi; e li premj di tante fatiche sono piccolissimi, dove in quelli tempi felici erano tanto grandi, che la eloquenza menava per strada sicura ed espedita gli uomini infimi alla sublimità del Consolato. Queste, ed altre cause fanno che lo scriver bene, massime nella lingua latina, è tanto difficile, che dovremmo mirar quasi come cosa miracolosa un buon scrittore: ma siamo tanto ignoranti, che non sappiamo discernere gli eccellenti dai plebei; e subito che l' uomo nelle sue composizioni schiva i vocaboli barbari e frateschi, pensiamo che egli scriva ben latino: e di qui nasce che non solamente il volgo, ma eziandio molti che per le città hanno fama di buona dottrina e di buon giudizio, ammirano lo stile di Erasmo, del Melantone, e di certi nostri Italiani, li quali non seppero mai, nè forse sapranno ciò che sia la bellezza, la

proprietà, la eleganza, la purità e la copia della lingua Latina; e la disgrazia vuole che coloro che di questa cosa divina hanno qualche cognizione e gusto, quasi tutti sono uomini grandi e nobili; e quelli che costretti dalla povertà, fanno professione d' insegnarla, quasi tutti sono lontanissimi da saperla: e come essi sono inetti scrittori e pieni d' improprietà e di sciocchezze, così fanno diventare ancora li poveri scolari, li quali più facilmente imparano il male che il bene, e spendono la sua gioventù in comporre versi e prose tanto plebee e vili, che beati loro se non avessero mai imparato Gramatica! perchè non diventeriano favola del mondo, ed avriano potuto mettere la industria in cose onorevoli; dove si affaticano per farsi vergogna e giuoco degli uomini veramente dotti. Adunque, per venire a qualche conclusione, dico, che se vogliamo imparare di scrivere latino, è necessario che abbiamo ottimi maestri li quali abbiano osservato con somma diligenza e perfetto giudizio la proprietà e la bellezza della lingua Latina; che si siano esercitati molt' anni in iscrivere; che abbiano grande invenzione; che sappiano l' artifizio di disporla e trattarla con dignità; che sappiano variare gli stili e la orazione, accomodando le parole, le locuzioni, le figure, i numeri alle materie; le quali, come sono diverse, così richiedono lo stile e la locuzione diversa; come vediamo che la diversità delli corpi e delle qualità delle persone ricerca diverse vesti e diversi abiti ed ornamenti: perchè la veste grande non ha convenienza col corpo picciolo, nè l' abito regale è proporzionato al gentiluomo privato. E perchè è quasi impossibile, a questi nostri tempi miseri, trovare maestri che abbiano tanta eccellenza, resta, che troviamo almeno maestri che siano tanto modesti e discreti; che conoscano la propria insufficienza e la sufficienza, anzi perfezione e divinità di Cicerone; e conoscendola, trovino via che Cicerone faccia per loro quello che essi non sanno fare; cioè, che esso dia li temi agli scolari e li corregga: il che seguirà, se loro sapranno con buon giudizio e destrezza tradurre

in volgare quelle prose tanto belle, stupende e miracolose, che non si troverà mai uomo tanto eloquente, che possa con le sue lodi agguagliare la loro quasi incomprensibile eccellenza e perfettissima perfezione. Io, Signor mio, vi ho detto il parer mio; il quale, se è buono, resta che preghiamo il Signor Dio che vi conceda un maestro che sappia e voglia eseguirlo, ed osservi nell' insegnare e leggere quegli altri avvisi che io già diedi a vostra Signoria; alla quale bacio la mano. In Verona.

Rationum superius in instituendis adolescentibus a Flaminio traditam sequutus est Bartholomaeus Riccius Lugiensis, ut hic in Epistola ad eumdem Flaminium testatus est; quam hoc loco subjicere ab instituto nostro minime alienum arbitrati sumus.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

M. ANTONIO FLAMINIO S. D.

Commodius mihi nihil accidere potuit, quam ut tuae illae litterae quibus Calinium, qua ratione filium suum in hisce studiis instituere debeat, pereleganter demonstras, hoc tempore ederentur; nam quum ego eam viam in meo Principe instituendo sequerer, continuo hic omnes veteres frontem contraxere, atque monstrum esse clamare coepere. Rationem meam profero; non audiunt, aversantur, novam instituendi rationem irrident. Genus hominum, qui, quod ipsi non viderint, alios vidisse indignantur: digni qui a glandibus nunquam abducerentur. Ut vero litterae tuae lectae sunt, isti se non prorsus quidem repressere, sed tuo judicio, quem in hisce studiis valde profecisse sciunt, plurimum tribuere. Sed ut ego

id a me, utinam alii a te, quum istas tuas litteras legerint, eam viam in docendo quam tu illis monstras, insistant, atque a pervulgata ea ac etiam longissima, ne dicam barbara, sese sensim abducant; multo enim rectius cum latina oratione, cum adolescentulis vero multo etiam commodius ageretur. Sed vereor ne secus accidat, atque in hac quoque breviori ac faciliori docendi ratione id eveniat quod in ceteris doctrinis evenire solet, ne pauci sint quibus haec nostra institutio comprobetur; tanta est enim animorum perversitas, ut malint in sua sententia pertinaciter errare, quam in probatissima aliena fideliter emendari. Sed nobis satis sit, te scribendo, me vero et scribendo et docendo, quibus ea placuerit non defuisse, nobisque perpaucorum judicium at probatissimorum, quam innumerabilium, at ignarissimorum, inscitia pluris sit. Equidem, si mihi accidat ut imperita multitudo meam sententiam comprobet, tantum abest ut id probem, ut pejus odisse non possim. Sed ecquid tuae Musae agunt? silentne perpetuo? exaruitne jugis illa pangendi versus tua vena? an ita stomacho etiam laboras, ut id te non solum palati, sed etiam animi summa hac delectatione intercludat? Sed vive tamen, atque ita, ut quidquid inde subtrahere potes, in communem utilitatem conferas; modo ut Deus Opt. Max. laudetur, modo ut ingenuae artes facilius percipiantur, demonstrans. Maphaejo, Priulio, Zanchio, meo nomine salutem dicito. Vale. Ferrar, MDXLII.

SELECTA
ILLUSTRIUM ORATORUM
DE M. ANTONIO
FLAMINIO
TESTIMONIA.

SELECTA

ILLUSTRIUM ORATORUM

DE M. ANTONIO FLAMINIO

TESTIMONIA

JO. ANTONIUS FLAMINIUS PATER

In Dialogo de Educatione, et Institutione Liberorum pag. 21. aversa, Edit. Bonon. MDXXIV. quo loco Jo. Antonius cum Leandro Alberto et Gaspare Elephantutio ita loquitur.

Vobis tantummodo notissimos ad memoriam Flaminios redigam, filium, qui mihi unicus de quatuor superest, et duos ex duobus fratribus nepotes. M. Antonium filium meum quis docuit? quis instituit? ut in talem evaderet, qualem non vos modo, quibus est notissimus atque carissimus, sed tota novit Italia, et apud exteras gentes quamplurimi. Sequutus est illum Sebastianus Flaminius, qui diversa licet via magnam sibi de litteris laudem et famam comparavit, dum Florentiae et aliis multis in locis, et nunc cum ingenti omnium admiratione in Foro Cornelii patria urbe, Medicinam profitetur. Tertius non minoris indolis ac spei Flaminius Julius Caesar, quantus jam in utroque genere dicendi evaserit, et quantum quotidie crescat, dicere non attinet. Adolescentis enim scripta ita vobis, ut mihi, jam nota sunt, tibi praecipue, Gaspar; qui non miraris, sed stupes, quoties vel illius Epistolas vel Elegias vel Odas vel omnium metrorum Epigrammata

legis: qui nunc Philosophiae pulsat limina; cui se totum tradat, et omnibus dedicet viribus, meum jamdiu consilium est. Sed ut talis, qualem videtis, hucusque evascrit, quis post Deum auctor fuit? quum ab alio quoquam ne litteram quidem unam, quam a me patruo, didicerit. De hoc pluribus loquutus sum, quia non defuere quidam qui opinati sint, filium meum M. Antonium Flaminium aliunde, quam a genitore suo, litteras didicisse; quod et ego non negaverim. Sed aliter atque illi interpretantur, institutionem ac labores jure tueor meos: velim mihi dicant ii, qualem illum e patrio emiserim nido, quum usque ad sextumdecimum aetatis annum nunquam ne diem quidem unum a latere meo discesserit. Primus autem illius a me discessus non ad finitimam urbem aliquam, sed Romam; neque ad Antistitem aliquem gregarium, sed totius terrarum orbis Principem et virum doctissimum, Leonem X. Pont. Max. ut Epistolam illi nostram de suscipienda expeditione adversus Turcas Elego versu scriptam, et in hac ipsa urbe cum aliis nostris impressam similibus scriptis, et publicatam, redderet; et simul Amplissimo Patri M. Cornelio Sanctae Mariae in Via Lata Cardinali Opusculum Silvarum nostrarum et Epigrammatum illi a me dedicatum traderet. Quem quidem Pontifex, ut nostis, litteratissimus, qualem invenerit, quantum sit admiratus, quibus laudibus adolescentuli eruditionem supra aetatem fuerit prosequutus, dicerem, nisi, ut puto, jam saepe audissetis, ac nisi Amplissimorum Patrum, ut alios taceam, Ferrariensis, Aragonii et Cornelii Cardinalium missae ad me litterae, quae non multo post, ut spero, cum nostris Epistolis publicabuntur, hoc idem abunde testarentur. Sed non paterna tantum monumenta secum filius ad talem Pontificem detulit, sed et sua et proprio elaborata ingenio. Observationes eae fuere et Annotationes in varios scriptae Auctores, non adolescentuli, sed reconditae et consummatae eruditionis Opusculum. Quod ubi Pontifex ipse illo praesente coepit legere, tantopere miratus est, ut non esse illam puerilem,

sed maturae ac in studiis consummatae aetatis doctrinam crederet. Ubi vero coepit illum super multis interrogare, et experiri an ingenium et verba scriptis responderent; et in omnibus plene satisfecisset, stupens aliquamdiu siluit; mox Virgilianum de Ascanio versum in illum protulit:

Macte nova virtute puer; sic itur ad astra.

Sed perge qua coepisti via gradi. Video enim te brevi magnum tibi nomen comparaturum, ac non genitori et generi tuo solum, sed et toti Italiae ornamento futurum.

Quamplurima alia de filio suo M. Antonio idem Jo. Antonius Flaminius tulit testimonia; quae exstant in Epistolis ejus ad Leonem X. Pont. Max. et ad M. Cornelium Card. initio Silvarum; in Epistola ad Leandrum Albertum lib. V. de Viris Illustribus Ordinis Praedicatorum pag. 217. in Praefatione in Vitam D. Petri Martyris Ord. Praedic.; item in Praefatione in Institutionem Harmonicam: demum in Codice M. S. Epistolarum familiarium, Bononiae apud Fratres Ord. Praedicatorum asservato.

MARCUS CARD. CORNELIUS

In Epistola ad Jo. Antonium Flaminium, Silvarum libris praefixa.

Quod vero rogas ut te et M. Antonium tuum, tam ingenuae naturae, quam eruditionis, adolescentem, in nostram clientelam suscipiamus; propter egregias virtutes vestras, quantum cura poterimus diligentiaque praestare, faciemus ut cognoscatis, nobis neque cariorem neque jucundiorem vobis esse quemquam.

LEANDER ALBERTUS

De viris Illustribus Ord. Praedicatorum lib. IV. pag. 153. in Dialogo Virorum Illustrium in Philosophia, ac Logica, ubi Flaminius junior et idem Leander interloquuntur.

M. Antonio Flaminio, juniore filio, juvene modestissimo, litteratissimo ac virtutibus ornato. Quem veluti filium dulcissimum amo, et complecti soleo ob ejus virtutes ingenuas. Quis eum non amaverit, qui cum corporis bonis et animi bona conjunxit? Pollet Oratoria, Poësi, Musica, et nunc Philosophiae operam enixe impendit.

IDEM

De Viris Illustribus Ord. Praedicatorum Lib. IV. pag. 135.

Accessi in quamdam gratissimam planiciem ad Apennini radices montis sitam, floribus diversicoloribus ubique refertam, ultro subsequentibus illis Latinae linguae luminibus Jo. Antonio, cum M. Antonio filio Flaminiis Forocorneliensibus, deliciis observandissimis atque viris rarissimis.

Meminit etiam cum laude M. Ant. Flaminii in sua Italiae Descriptione ubi Fori Cornelii viros illustres recenset.

DOMINICUS SAULIUS

In Epistola ad M. Antonium Flaminium, quae adhuc inedita apud Flaminios Nepotes servatur.

Treis tuas isto die accepi Epistolas, ex iis duas Latino sermone conscriptas, aliam Etrusca lingua, omnes mihi

sane jucundissimas : erant enim tum elegantes et ornatae, tum amoris et illius nunquam mihi satis amatae suavitatis tuae plenissimae . . . . Tibi itaque gratulor, omnia ex mente tibi contigisse; atque etiam bene feliciterque tibi studiisque tuis evenisse volo, teque hortor, ut institutum tuum omni cum diligentia prosequendum suscipias; idest bonarum litterarum; quamquam eum te profecto cognoscam qui Theopompo, quam Ephoro, similior, fraeno potius quam calcaribus semper indigueris . . . . . Cum (si te bene novi) sis in pangendo facilis, elegans, divinus; ita, in edendo difficilis, tardus, morosus; voluisti Carmen illud tantisper supprimere; dum politiori lima esses omnem illius litteram persecutus . . . . Dii, inquam, boni, quam subitis mirisque animi motibus sum perculsus, hinc scilicet persequendi Epistolam, tuo certe (ut paucis dicam) ingenio dignam, illinc tua legendi Carmina, quibus ut nullum tempestatis nostrae carmen praefero, ita (duobus, aut tribus tuo potius quam meo judicio exceptis) ceteris omnibus eadem antepono. Itaque, mi Flamini, ita vivam, ut veluti in profundissimae cogitationis negotio implicitus, ignarus quid rei agerem, substiti! Cupiebam Carmina tua magna cum aviditate inspicere : amabam Epistolam, genereque illo scribendi tuo mirifice delectabar; mecumque ipse considerabam, quam cum genere carminis orationis genus istud tuum, idest quam tu ipse tecum certares, ut haud facile dignosci posset in altero quorum praestares . . . .

Romae. Prid. Id. Octob. 1522.

M. ANTONIUS COCCIUS SABELLICUS

Tres ad M. Ant. Flaminium dedit Epistolas. Exstant in calce Tomi IV. ejus Operum edit. Basil. 1538. in fol. lib. I. Epistolarum col. 341. et 351. et lib. II. col. 363, ad quas Lectorem rejicimus.

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS

Libro III. Epistolarum, Epistola 13. ad M. Antonium Flaminium.

Novi naturae tuae infirmitatem: novi incredibilem tuam in omni percipienda humanitatis vi assiduitatem. Quare, si mihi quidquam credis, homini quem tute scis tibi esse amicissimum, et in alienis quidem dijudicandis caussis minime stultum, da aliquid corpori, servi valetudini: satis tibi sit, earum quas quaerimus rerum nosse fontes et capita: rationem earum et vias ingenio tuo auctore et cogitatione haud ita multa, modico certe studio consequére; praesertim qui puer in levioribus illis artium studiis operam optime posueris, et nunc in gravioribus extrema ista tua adolescentia jam tantum profeceris. Infinitam istam diligentiam et immensam lectionem nobis relinque, qui quo minus natura atque ingenio valemus, et in rectam disciplinae viam tardius ingressi sumus, eo cum nos approperare opus est magis, tum vero evigilare in studio diligentius, et labores omnes sufferre possumus facilius.

Plures alias Epistolas Longolius ad Flaminium scripsit. lib. Epist. II. num. 17. 20. 21. et 32. lib. III. num. 30. Lib. IV. num. 8. Ejusdemque cum laude meminit Oratione II. pag. 33. edit. Flor. 1524.

B. PAULLUS JUSTINIANUS

Camaldulensis Ordinis.

Ad M. Antonium Flaminium, sibi amicissimum, Epistolam Italicam, seu potius Concionem disertissimam, misit de vera hominis felicitate; alicubi editam, ut Auctor Vitae Justiniani recens affirmat.

HIERONYMUS FRACASTORIUS

Libro II. de Intellectione.

Noscimus omnes M. Antonium Flaminium, sanctissimum quidem virum et utriusque linguae doctissimum, Reginaldi Poli Angli, nobilissimi juvenis, familiarem et, quod in prima laude ponendum est, Poëtam nostri saeculi eximium.

LILIUS GREG. GYRALDUS

De Poetis sui temporis, Dialogo I. pag. 396.

M. Antonius Flaminius sapientiae studia cum utraque lingua conjungit; et nisi acrius eum stomachi morbus urgeret, paucos ei conferre possemus. Sed ita comparatum est, ut praeclara ingenia fere semper aliquid infestet, et interturbet.

Flaminium etiam cum laude Gyraldus commemorat in Epistola carmine de incommodis quae in direptione urbana passus est. pag. 226. *n.* 10.

PETRUS VICTORIUS

Libro IX. Variarum Lectionum Cap. IX.

Optimus nostri temporis Poëta, quiqne vestigia et Latini, et Graeci supra a me appellati Poëtae premit, Flaminius, sive illos imitatus, sive ingenii acumine, quo neutri eorum valde cessit, idem perspiciens, et ipse in Hendecasyllabo de laudibus Mantuae non minus apposite cecinit:

Felix Mantua, civitatum ocelle!

JACOBUS SADOLETUS CARD.

Libro XVI. Epistolarum , Epist. IX. ad Donatum Rullum .

De te ipso autem , id quod ad me nunc pertinet , estque mei in te summi amoris proprium , nonnulla mihi , Donate , incidit suspicio , et metus quidem ne ex animo tuo penitus elapsus sim . Quid enim est ? quinquene jam menses sunt , fluxitque tantum temporis , neque dum mihi abs te quidquam , ne salus quidem , aliorum saltem litteris , tuis verbis nuntiata ? tantone tibi labor scribendi aut monendi molestior , quam mei absentis fuit appellatio jucunda ? Quomodo ergo hoc lues ? opinor si et litteras mihi miseris , et doctissimorum hominum contubernalium tuorum Aloysi Priuli , et M. Antonii Flaminii acta aliqua ad me prescribes .

De Flaminio idem Sadoletus cum 'laude testatus est Epistola prima ad Christophorum Longolium . Vide Flaminii Vitam .

SEBASTIANUS CORRADUS

Epistola ad Lectorem initio Commentariorum in Epistolas Ciceronis ad Atticum . Venetiis apud Franciscum Scottum MDXLIX in 8.

Non dico quid in ea re sim consecutus : illud dico , M. Antonium Flaminium et Romulum Amasaeum , viros optimos et homines doctissimos , mihique summa benevolentia conjunctos , superioribus mensibus Regium quum venissent , (1) Pontificem Max. comitati , mihi auctores fuisse ut quae intellexissent a me in Epistolis ad Atticum

(1) Paullum III. ad Carolum V. Imperatorem in agrum Parmensem colloquii caussa proficiscentem .

interpretandis explicata, ea foras dari sinerem, nec paterer, quantum esset in me, librum longe omnium revera, et doctissimi cujusque judicio, utilissimum, de manibus hominum, rerum quae in eo sunt ignoratione, quasi deponi . . . . IV. Kal. Jan. 1543. Regio Lepidi.

Idem Sebast. Corradus Epistola ad Alexandrum Card. Farnesium initio eorumdem Commentariorum plurimam laudem Flaminio tribuit.

Q. MARIUS CORRADUS

Libro II. Epistolarum, Epistola XXVIII.
Ad Donatum Rullum.

M. Antonium Flaminium, doctissimum et sanctissimum virum, ideo in his carminibus tacere non potui, quod (ut ex illius amantissimis ad te scriptis cognovi) tibi erat conjunctissimus, et mihi quoque amicus quum esset, et valde meis Latinis et Graecis studiis tum opera, tum consilio profuerit; suaviter adhuc in illius nomine et memoria acquiesco. Sed quis non modo Flaminium, sed omnem illam familiam Reginaldi Poli, nobilissimi et amplissimi viri et amicissimi tui, non semper magna cum voluptate recordetur? Maxime tamen ego Flaminium observavi semper et colui: de quo sic statuo, Hominem illum fuisse qui doctrina et elegantia orationis cum omni antiquitate comparari posset.

Idem Corradus egregiis Flaminium laudibus ornavit Lib. I. Epistolarum num. 17. Lib. II. num. 22. et 27. Lib. III. num. 68. Lib. IV. num. 93. 96.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Epistola Dedicatoria Apparatus Latinae Loquutionis.

Proxime vero M. Antonius Flaminius et summa vir bonitate praeditus, et ea in me fide qua qui optima in amicum, et eo in universa re litteraria judicio quo omnes litterati jampridem norunt, hoc ipsum a me ita contendit, itáque omni ratione edendum librum mihi comprobavit, ut cum ceterorum quoque amicorum litteratissimorum virorum crebras exhortationes recordarer, ei de edendo negare non potuerim.

Quamplurima alia doctrinae Testimonia Flaminio Riccius impertivit, quae in Epistolarum ejus libris, in Opusculo de Imitatione, ac in Dialogo de Judicio leguntur.

BERNARDINUS PARTHENIUS

Oratione pro Lingua Latina.

Sed circumstant Poëtarum nobilissimi coetus, quo in tanto numero, ne totum diem illis recensendis conteramus, in mentem veniat saltem Jacobus Sannazarius, quem divinitus in divinis versatum, nemo non intelligit, antiquitatem vario scribendi genere provocasse; Molsam recordamini; occurrat Vida; repetatur Lampridius: omnium purissimum et candidissimum M. Antonium Flaminium in memoriam revocate, puro illum, ut est apud Poëtam, (1) amni simillimum.

Hanc ipsam laudem Flaminio tribuit Parthenius libro II. Dialogi Italici de Imitatione Poetica:

Libro etiam IV. ejusdem Dialogi Parthenius Flaminii Oden de Delia ex Petrarcha summopere laudat.

(1) Horat. lib. II. Epist. II. v. 120.

FRANCISCUS FLORIDUS SABINUS

Apologia adversus Latinae Linguae calumniatores.

Sed nimis patentem campum ingredior, si singulos ornate recensere posse confidam. Franciscum tamen Molsam, M. Antonium Flaminium, Blosium Palladium, Romulum Amasaeum, Alexandrum Manzolum, Sebastianum Delium, Achillem Bocchium, P. Cursium, Hieronymum Fundulum, Bassianum Landum, Laurentium Palicium; Gallos autem Vatablum, Germanumque Brixium non praeteriero.

JOANNES GAGNÆJUS

Epistola ad Lectorem de LXXV. Davidicis Psalmis carmine lyrico a se conscriptis. Edit. Lutetiae Paris. per Nicolaum Divitem. MDXLVII.

Marcus autem Antonius Flaminius vir nostra aetate Orator, Poëta, Philosophus ac Theologus summus, Lyricos suos nondum ediderat. Testes sunt hujusce rei Reverendissimus Cardinalis Bellajus et Salmonius Macrinus, inter Lyricos Gallorum poëtas facile primi: testis est et Petrus Danesius, praeceptor meus, linguarum juxta ac bonarum disciplinarum peritissimus, quorum censoriae limae Odas nostras permiseram, annos (antequam suos Lyricos Flaminius ederet) duos: postea autem quam in publicum edidit, premendarum paene atque abolendarum auctor mihi harum Odarum fuit, suspicanti videlicet, post tam doctos versus, ingratas insipidasque fore eruditorum hominum palato nostras nugas. Quapropter certum erat aut abolere prorsus, aut latentes apud me diutius retinere, nonumque, juxta Horatii sententiam, in annum premere

PHILIPPUS BELVALETIUS

Epistola Dedicatoria Paraphrasis in Psalmos versibus scriptae. Edit. Duaci apud Jacobum Boscardum 1565.

Poetas, et Theologos summos intelligo Marcum Antonium Flaminium Italum, Joannem Gagnaejum Parisiensis Academiae Cancellarium, ... qui omnes ad lyram suos Psalmos ediderunt: ut reliquos taceam qui summa cum laude elegiaco scripserunt carmine.

JACOBUS GADDIUS

De Scriptoribus Graecis et Latinis.

M. Antonius Flaminius, Poëta multiplex, multas laudes meretur; meo judicio, excedens aliquando mediocritatem in Hymnis in Pana, in Auroram, ad Bacchum; licet in Carmine hoc videatur mutuatus nonnihil a Catulli Galliambo; et in Carmine triplici ad Agellum suum, quem summe laudat. Sunt etiam bonae ac nobiles Elegiae de se aegrotante; de Hercule et Hyla; de se proficiscente Neapolim; licet in his non probentur mihi aliquot versuum fines. In prima Elegia, ut in primo Hymno, indicat, se cecinisse Regum proelia, et meditatum profunda facta Ducis Umbri, scilicet Urbini.

Traditur Flaminius scripsisse libros quinque, vel amplius, Carminum; et Psalmos elegantissimo carmine expressisse; Paraphrasim etiam in duodecimum librum Aristotelis de Prima Philosophia condidisse.

Luculenter celebratur a Toscano, qui in Epigrammate affirmat, ab ipso Flaminio restitutam fuisse puram politioremque Latinitatem, subditque: *M. Antonio Flaminio, Poetae, Oratori, Philosopho, Theologo aeque illustri, Forum Cornelii fuit patria . . . . . Exstat et Psalmorum triginta poetica, totius vero operis Psalmo-*

rum soluta oratione Paraphrasis. Leguntur etiam Italico sermone purissime conscriptae Epistolae.

M. Antonius, qui obiit anno MDL. fuerat filius Jo. Antonii, Oratoris magnae eloquentiae, ac Poëtae insignis elegantiae, ac venustatis.

PETRUS OPMEERUS

In Opere Chronographico Tom. I. p. 461.

Praeterea Italia jam praesertim scatebat eruditis ingeniis, cum Hieronymum Fracastorium, Joannem Cottam, M. Antonium Flaminium, Andream Navagerium aliosque ostentaret clarissimos Poëtas.

M. HIERONYMUS VIDA

In Dialogo de Republica, Tridenti cum M. Antonio Flaminio habito, Jo. Marium Montium Cardinalem, postea Julium III. Pont. Max. de eodem Flaminio sic statuentem inducit. lib. 1. pag. 39. edit. Cremon. 1556. in 8.

Hactenus equidem Flaminium semper ratus sum poëtam dumtaxat dulcem atque compositum, talemque cui nostra aetate pauci pares essent. Lego enim etiam interdum poëtas, cum mihi a publicis muneribus ocii quippiam datur, neque a recentioribus, et ab eis qui hodie vivunt, tempero. Existimavi sane semper, poëtas atque oratores facultate inter se plurimum esse disjunctos, paucique ideo hactenus inventi sunt inter omnium aetatum alicujus nominis poëtas, qui, non dico optime orarent, sed solutam orationem non omnino contemnendam conficerent: difficile est enim pluribus distentum studiis non modo in omnibus, sed etiam in uno et altero excellere. Una profecto quaeque ars totum hominem occupat, neque

eumdem facile patitur in diversa distrahi, curamque et cogitationem huc illuc dividere. Quod sane nosse possumus in duobus linguae Latinae luminibus M. Tullio Cicerone et P. Virgilio Marone, quorum alter, exceptis versibus, ne litteram quidem scriptam reliquit; alter vero per otium interdum poëticam adortus fuit; sed quam belle ei successerit prae illis studiis quae illi erant propria, nemo nostrum non novit. At Flaminius noster quam magnifice, quam copiose atque composite videtur tibi, Vida, etiam oratoris munere perfunctus fuisse?

JUL. CÆSAR SCALIGER

In Opere Scaligerana inscripto editionis auctoris pag. 407. M. Antonium Flaminium inter excellentissimos Poetas recenset hoc ordine.

Hieronymus Vida excellentissimus Poëta recentior cum sequentibus, quorum nomina sunt Pontanus, Politianus, Sannazarius, Flaminius, Molsa, Balthassar Castilioneus, Naugerius, Bembus, Sadoletus, inter quos Marullum locum habere patiar.

JO. ANDREAS PALATIUS

In Oratione ad Forocornelienses, Bonon. edit. apud Jo. Rossium 1573. in 4.

Quid de M. Antonio Flaminio, Jo. Antonii filio, dicam, cujus ita soluta oratio Ciceronis, carmen vero Catulli puritatem atque elegantiam refert, ut qui propius ad utrumque eorum accedat, doctorum consensu, plane neminem habeamus?

PETRUS BEMBUS CARD.

Epistola Italica ad M. Antonium Flaminium. Parte III. Lib. IX. Epistolarum Italicarum Bembi Edit. Venet. MDLII. apud Gualterium Scottum.

Io non accetterò già la escusazion vostra, molto onorato M. Marc' Antonio; perciocchè nè voi sapete far cose inette, come dite; nè io son persona che non sia per veder le vostre con quello amichevole occhio che all' antica nostra amistà è richiesto. Per le quali due cause vi prego ad esser contento di mandarleme. E se a voi pure piacerà che ad altri non si mostrino, io v' ubbidirò. A M. Girolamo Fracastoro sarete contento raccomandarmi, e salutare a nome mio M. Adamo. State sano. A' 28. di Novembre. 1533. Di Padova.

M. Antouii Flaminii Epistola Italica ad Petrum Bembum extat in Collectione Epistolarum Italicarum Illustrium Virorum ad eumdem Bembum lib. III. pag. 49. Venetiis per Franciscum Sansovinum. 1560. in 8.

IDEM BEMBUS

Epistola Italica ad Hieronymum Fracastorium Tom. I. Operum Fracastorii pag. 91. edit. Comin. 1739. in 4.

Sarete contento raccomandarmi a quelli Reverendiss. ed Illustriss. Signori Legati, (1) tutti e tre Signori miei osservandissimi, e a salutare a nome mio il Magnifico e buono M. Luigi Prioli, e il dotto e pio e santo poeta M. Marco Antonio Flaminio. A' 20. di Maggio, dì natal mio, 1546. di Roma.

(1) Li Cardinali Gio. Maria dal Monte, Marcello Cervini, e Reginaldo Polo Legati al Concilio di Trento.

JOANNES CASA

Epistola Italica ad Carolum Gualterutium Fanensem in laudem M. Antonii Flaminii. Exstat Tom. III. Operum ejusdem Casae num. XCIV. pag. 273. edit. Venet. apud Pasinellum 1728. in 4.

Io ho avuto da M. Donato Rullo un bellissimo libro di versi Latini moderni, dove sono anco una parte di quelli di Mons. Bembo; e fra quelli del Sign. Flaminio, che sono tanto belli, e così puri e pieni di leggiadri spiriti, che fanno sudare l' antichità da ora che ella ha ben freddo. Ma fra quelli è uno Epigrammetto in laude di quel mio trattatello prefato (1) *che io non lo aveva mai più sentito, nè saputo che fosse fatto. Se io me ne sono tenuto buono, o nò, lo lascio pensar a voi, che vi avete anco il vostro.* (2) . . . . . : *Venezia 7. Luglio* 1548.

JACOBUS BONFADIUS

Epistola Italica ad M. Antonium Flaminium. Lib. I. Epistolarum Italicarum Clarorum Virorum Paullo Manutio collectore. pag. 29. Edit. Venet. Ald. 1551.

Ogni onore è di vostra Signoria, ed a lei meritamente si deve, che con la vera virtù e santa dottrina sua è passata là oltre ove mente umana può arrivare. Della bontà non faccio menzione, perocchè quella non ha limite.

(1) Carm. Lib. V. n. XI. ad Jo. Casam.
(2) Carm. Lib. V. n. XII. ad Carol. Gualterutium.

BERNARDUS TASSUS

Epistola Italica ad M. Antonium Flaminium. Lib. I. Epistolarum num. 133. pag. 234. Edit. Venet. apud Valgrisium 1553.

Piacesse a Dio che siccome già alcuna vostra poetica composizione mi proposi d' imitare, or la vostra vita d' imitare mi proponessi; e così questo, come quello ben fatto mi venisse.

Vide etiam ejusdem Tassi Epistolam ad Galeatium Florimontium, lib. 1. num. 73. pag. 119.

FRANCISCUS TURRIANUS

Epistola Italica ad Donatum Rullum. Lib. II. Epistolarum Italicarum Clarorum Virorum Paullo Manutio collectore pag. 113. Edit. Venet. Ald. 1551.

Ho ricevuti li versi di M. Marc' Antonio, e quando ne abbia ricuperati alcuni altri che sono in mano d' uno amico mio, io vi manderò ancor quelli; che vi satisfaran molto più, a mio giudizio, perchè son tanto più vaghi e più venusti, quanto che trattano di materie più capaci di vaghezza.

LUCAS CONTILIUS

Tom. I. Epistolarum Italicarum, Ticini apud Hieronymum Bartholum 1564. in 8. pag. 19. Epistola II. ad Sigismundum Estensem.

Quanto vaglia il Flaminio, è pubblico grido al mondo, e nella dignità Poetica e nella Oratoria professione.

JO. BAPTISTA GYRALDUS

In Opere inscripto : « Discorsi intorno al comporre dei « Romanzi, delle Commedie e delle Tragedie e di « altre maniere di Poesie, a M. Giovambatista Pi- « gna. » Venet. apud. Jolit. 1554. in 4. pag. 111. de Carminibus M. Ant. Flaminii hoc tulit judicium.

A questa considerazione se ne aggiunge un' altra, la quale è, che dee il Poeta usar grandissimo studio nelle sue Stanze, perchè di due versi in due versi si possa riposare chi legge quanto a quella parte di sentenza che si può in due versi finire : e dissi di due versi in due versi, perchè ancora che avvenga alle volte, che di verso in verso si potesse aver riposo, non è egli però compito, perchè al vero riposo bisogna che vi siano due rime le quali chiamino le seguenti, talchè a due a due si giungano per la continuazione della Stanza, in quella istessa guisa che fanno i Latini i loro Eleghi, od Orazio gli Epodi suoi. Il che nelle sue composizioni fatte a questa immagine non ha servato il Flaminio (come non ha anco servato il piacevole corso dell' Endecasillabo Faleuco di verso in verso, come fè Catullo prima, poscia gli Autori de i luoghi osceni, che sono da molti dati a Vergilio, ed a' nostri tempi il Pontano, quantunque egli forse più languido sia negli Endecasillabi, che non si converrebbe, ed ultimamente il gentilissimo Marullo) : ma rompendogli esso Flaminio non altrimenti che si rompano gli Eroici, gli ha fatti meno soavi di quello che la natura di tali versi gli ricercava, quantunque nella lingua egli sia osservantissimo.

Verum Collector Anonymus lectissimorum Carminum M. Antonii Flaminii, aliorumque Poëtarum, quae exstant in libello inscripto : « Anthologia, seu selecta quaedam « Poëmata Italorum qui Latine scripserunt. Londini 1684.

« in 8. » in Epistola ad Lectorem ita de Flaminio statuit :

Quo ad Odas Flaminii attinet, quarum hic bene multas habemus, nihil esse potest, ut opinor, suavius; quod in primis ii judicent qui sapiunt Latine. Catulli enim, ut mihi videtur, non tam imitator, quam aemulus prope dici meruit. Ingenii nitor et venustas, stylus candidus, numeri Catullianis minus horriduli, et cum suavitate ubique mira facilitas, sunt praecipuae ejus virtutes.

JAN. VINCENTIUS GRAVINA

In Opusculo cujus inscriptio est : *Trattato della Ragion Poetica*. edit. Neap. 1716. lib. I. pag. 132. num. XLII.

Con ugual candore, e coltura (ma con voce più sonora, e con maggior libertà di talento) cantarono Marc' Antonio Flaminio, ingegno atto ugualmente alla tenerezza profana ed alla maestà sacra, e Baldessar Castiglione, che seppe sì lo spirito di Virgilio render nell' Alcone e nella Cleopatra, come di Catullo e di Tibullo nelle soavissime Elegie.

STEPHANUS MENOCHIUS SOC. JESU

In Opere cui titulus: *Le Stuore*. Tom. III. Centuria X. cap. LXXXIII. pag. 282. edit. Venet. 1724. in 4.

Marc' Antonio Flaminio, uomo di bontà segnalata, e noto assai al mondo per le Opere di lui, che stampate vanno attorno.

SFORZA PALLAVICINI CARD.

Nella Storia del Concilio di Trento lib. VI. cap. 1. num. 5. ann. 1546.

Adunque il Papa fè proporre al Concilio per Segretario Marcantonio Flaminio, chiaro fra gli Scrittori Latini di quella età, come dimostrano i suoi versi. Ma egli scusossi dal peso, forse perchè già covava nella mente l' affetto a quelle dottrine in condannazion delle quali gli sarebbe convenuto d' esercitar quivi la penna. Benchè (stà nella Vita del Polo scritta dal Beccatelli) in fine degli anni suoi la salutevol conversazione del Card. Polo in Viterbo il facesse ravvedere e scrivere e morir cattolicamente.

AUGUSTINUS CALMET

ORD. S. BENEDICTI

In Supplemento ad Bibliothecam Sacram a Jo. Dominico Mansio ex Gallica lingua in Latinam verso, pag. 341. edit. Luc. 1731.

Flaminii duo sunt, Joannes Antonius pater et M. Antonius filius; quod adnotare juvat, ne idem nobis accidat quod D. Dupinio, qui Filii opera Patri attribuit. Ejus Paraphrasis excurrit tantum in Psalmos XXXII., prodiitque Venetiis An. 1538. in 8. Haec primo ab illo vulgata sunt; dein Publico communicavit breviorem Expositionem cum Paraphrasi et Adnotationibus in omnes Psalmos, quater et decies recusas. Postrema editio est A. 1576. in 8. utrumque opus simul Parisiis 1549. in 8. Obiit Romae A. 1550. Pietate ac probitate vir eximius, summoque qua judicio qua ingenio, studio assiduus et Catholicus optimus.

IDEM

In Dictionario Historico Critico Chronologico Geographico et Litterali Sacrae Scripturae, edito Venetiis 1726. in fol. Tomo I. pag. 33. ubi de Commentariis in librum Psalmorum, pag. 35. hoc de M. Antonii Flaminii Expositione tulit judicium.

Breve Commentarium Flaminii in Psalmos concinnum est, stylo culto, solido et optimi saporis.

IN OBITUM
M. ANTONII FLAMINII
CLARORUM VIRORUM
EPISTOLÆ.

Sequens Petri Victorii Epistola ad Reginaldum Card. Polum una cum Poli ad Victorium responsione exstat inter Epistolas Clarorum Virorum a Jo. Michaele Bruto collectas, libro II. pag. 239. Edit. Lugd. apud Heredes Sebast. Gryphii. 1561. in 8. Vide etiam Operum Flaminii Editionum Elenchum.

PETRUS VICTORIUS

REGINALDO POLO CARD. S.

Non eo consilio, vir optime et amplissime, calamum sumsi ut te consolarer, doloremque illum minuerem quem cepisti ob interitum M. Antonii Flaminii, probi hominis ac summis ingenii dotibus praediti: neque enim tantum mihi tribuo ut fortem virum, usuque ac doctrina, nostrae imbecillitatis peritum audeam monere, aut tibi eripio, quem scio nullo negotio quidquid remedii huic malo adhiberi potest, per se ipsum inventurum: sed ut tecum aliquantulum de gravi hac plaga per litteras loquerer, quae cunctos optimarum artium studiosos merito perculit · in quibus cum ipse inferiorem locum teneam, acumen tamen ingenii illius, vitae sanctitatem, praeclaram eruditionem,

morum elegantiam in primis dilexerim, vel suspexerim potius; non potui mihi temperare quin aegritudini parerem, ac de communi hoc damno tecum quererer. Amisimus enim morte illius florem Poëtarum, decusque ac splendorem hujus saeculi, quod ille mirifice ornabat, ac plurimis maximisque virtutibus suis illustrabat. Haec autem ita de aliquo prolata, non me fallit, exsuperantiam quamdam amoris redolere, ac valde commotum animum ejus qui dicit, indicare. Quae tamen de Flaminio edita, nedum nimis quam oporteat, laudem ejus efferant, non plane integreque videntur illam explanare. Constat enim ipsum non ceteris tantum nostrae aetatis Poëtis facultate condendi carminis praestitisse, sed veterum etiam Latinorum gloriam et varietate poëmatis et elegantia adaequasse. Quanta autem felicitate ingenii obscuros sensus veterum scriptorum, et aut brevitate verborum, aut hujuscemodi aliqua caligine involutos explicare potuerit, eademque dilucide ac copiose tractare, nihil attinet docere; cum illi ipsi Graeco homini qui omnium judicio hujus rei palmam olim reportavit, non cesserit: quod et cantus Hebraeorum Poëtarum ab ipso expressi, et duodecimus peripateticorum principis liber de Prima Philosophia declaravit. Te vero potissimum delegi, apud quem maerorem meum testarer, cui scio, mortem illius valde molestam fuisse, et commune hoc damnum spectanti, et multis voluptatibus quas quotidie de venustate illius, suavissimaque consuetudine decerpebas, carenti: cum eum domi tuae aleres, in coetuque honestissimorum tuorum sodalium haberes. Fuit enim semper hoc proprium virtutis tuae singularisque bonitatis, ut studia litterarum foveres, praestantesque in illis viros vehementer amares, atque omnibus quibus posses, commodis augeres: ac quem audivi omnia sedulo colligere quae tantum dolorem valeant mitigare, firmamque illius memoriam in animo tuo imprimere; cum formam etiam oris ipsius, diligenter olim apud nos expressam, hinc accieris, simulacroque hoc etiam corporis putaris te posse adjuvari: animi namque

effigies imagoque vitae exstingui delerique ex pectore tuo non potest. Praeter enim quam quod facta Flaminii honesta, gravesque voces assidue tibi arbitror obversari, monumenta ingenii ipsius, quasi speculum indolis, nunquam eam patientur evanescere, neque ex animo tuo tantum, sed eorum etiam omnium qui non omnino aversi a Musis sunt, nec omnium deliciarum ingenuarumque voluptatum rudes. Nam tibi magnam certamque consolationem, accepi attulisse, quod sancte ille pieque discessit e vita, atque ea constantia mentis et alacritate, quae ab eo qui ita ut ille vixisset, ac vera religione imbutus esset, solo poterat exspectari. Hoc enim quod alii fortasse majorem dolorem inussisset, cum cogitaret, se tali amico orbatum, sapientiae tuae non parvum solatium attulit, quae vidit ipsum illo extremo tempore se, ut Christianum decet hominem, gessisse, atque honeste actae vitae finem similem addidisse. Ipse certe, qui non eo robore animi sum, neque tam alte in vera pietate radices egi, conflictor magnopere, ereptum esse nobis talem virum, qualem fortasse nunquam futura aetas videbit. Quod si damnum tantum spectemus quod fecimus, minoribus ipsius laudibus, tamquam luminibus quibusdam extinctis, jactura haec acerba luctuosaque admodum est, nedum si exemplar humanae probitatis ablatum nobis, cogitemus: et tamen omnia sunt aequo animo ferenda, quae nos infirmitatis nostrae admonent. Iis vero qui ea gravitate animi scientiaque Christianae pietatis, qua tu, ornati instructique sunt (qui pauci tamen sunt) non ferenda tantum, verumetiam contemnenda. Quare gaude isto tuo eximio praestantique bono, utereque his armis ad hujuscemodi fortunae impetus propulsandos; nobisque ignosce, qui humi adhuc strati, his vulneribus tolerandis pares non sumus, et omnia denique tenui imbecilloque animo judicamus: praecipue autem mihi, qui non tantum me ab atroci hac plaga, aegritudineque confici passus sum, sed in alium etiam immerentem, partem ejus conjeci, ac magnitudine doloris mei dolorem etiam tuum excitavi; ob-

ductamque fortasse jam cicatricem, sine caussa refricavi. Vale. Florentia. XIII. Cal. April. M. D. L.

REGINALDUS CARDINALIS POLUS

PETRO VICTORIO S. P. D.

Quanto dolore affectus fueris, vel maerore potius, ex Flaminii nostri morte, optimi et doctissimi viri, facile ex tuis litteris intellexi; in quo quidem declaras non modo quantopere tu illum dilexeris, quantique feceris, sed quantum etiam ipse ob humanitatem istam amandus sis. Nec vero hoc obscurum ingenuae naturae tuae et probitatis signum ac testimonium est quod homo in iisdem studiis in quibus ille excelluit, magna cum laude tot jam annos versatus, aequalis tui obitum tam amanter defles, et ejusdem ingenium ac mores summis effers laudibus. Sed quae tu de Flaminii ingenio, ac praestanti in optimarum artium studiis laude commemorasti, ea tibi, et cuivis, ex variis illius et elegantissimis scriptis, aeque ac mihi, cognita esse potuerunt. Illa vero quae majora sunt ex ejus laudibus, propter intimam quae mecum illi fuit, consuetudinem et assiduum multorum annorum convictum atque usum, et facilius animadversa a me, et perspecta sunt certius. Neque enim mihi quemquam videor aut majore erga Deum pietate praeditum cognovisse, aut ab omni earum rerum quas vulgo homines admirantur, cupiditate remotiorem, aut denique in omnibus Christianae caritatis officiis diligentiorem. Itaque tali viro extincto, quem ego unice diligebam, et a quo me summopere amari sentiebam (si modo exstinctus is est qui morte immortalitatem commutavit), negare non possum quin ipse quoque graviter sim commotus: et cui superioribus temporibus plurimae aliae gravissimaeque calamitates inciderint, hanc nulla fere earum leviorem esse existimarim. Quod si tu propter admirationem illius probitatis atque doctrinae tam graviter ejus morte doluisti, quid me tandem facere par est, qui

his ipsis bonis assidue fruebar? quique praeterea ex suavissimis ipsius sermonibus summam jucunditatem, ex amantissimis consiliis maximum fructum in omni actionum mearum genere capiebam? Sed tamen, qui rebus adversis perferendis, Deo adjuvante, jampridem assuefacti sumus, quique omnia quae voluntate divina eveniant, non forti modo, sed aequo etiam animo patienda nobis esse statuimus; hoc nostrum incommodum, gravissimamque jacturam eo ferimus animo quo debemus. Tantum vero abest ut illius vicem doleamus, ut etiam ipsius caussa gaudendum esse intelligamus. Etenim cui magis propitium ac placatum Deum fuisse, cuive facilius aditum ad aeternam et beatam illam vitam patuisse, censendum est, quam ei qui (ut ipse quoque de eo sentis) et integerrime semper ac castissime vixerit, et ex hac vita pie sancteque discesserit? Profecto illius obitu dolere invidentis esset potius, quam amantis. Quare te quoque hortor ut cum is tam praeclare vitae suae cursum confecerit, hac cogitatione desiderium quo ex illo afficeris, lenias. Quod facilius etiam assequère, si his litteris quae, ut sunt, ita appellantur Sacrae, aliquid tui studii et temporis impertieris: ex quibus (id quod ipse expertus confirmare possum) praeter suavissimum quemdam animi fructum ac voluptatem quam percipies, omnia quae evenire homini possunt incommoda (modo omnis spes nostra in Deo fixa teneatur); non tolerabilia solum *esse*, sed ad salutem etiam animorum, vim habere maxime intelliges. Sed haec hactenus. Ego et tuum scribendi ad me consilium amavi, quod carissimam mihi et jucundissimam Flaminii memoriam (quamquam ea quidem, quoad vivam, ex animo meo effluere nunquam poterit) excitâris, et de te jampridem ita sentio ut, eo amisso, non parvum Italiae in tuà excellenti doctrina ornamentum positum esse, arbitrer. Eo porro sum in te animo, ut si quam ad rem opus tibi opera et studio meo fuerit, ea tibi, ut ab homine talium virorum qualis es tu, vehementer cupido, parata

esse pollicear. Vale, meque ama. Romae. IV. Cal. April. M D L.

Bartholomaei Riccii Lugiensis Epistola ad Petrum Victorium, qua M. Antonium Flaminium decennio et amplius ante e vivis ereptum, iterum luget, oblata sibi occasione ex lectione duarum superiorum Epistolarum ejusdem Victorii, et Card. Poli de Flaminii obitu, quas apud Jo. Michaelem Brutum Litterarum Clarorum Virorum collectorem perlegerat. Hanc autem Riccii Epistolam hactenus ineditam ex Autographo Manuscripto Romae apud Victorios Equites, Latinis Graecisque litteris ornatissimos, qui aetate nostra Petri Victorii, eorum clarissimi Proavi, gloriam, tamquam amplissimum patrimonium, non solum tuentur et conservant, verum etiam quamplurimum augent, diligenter exscripsimus. Epistolar. Lat. Tom. III. pag. 57.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

PETRO VICTORIO S. P. D.

Forte, cum quas Brutus Clarorum Virorum Litteras edidit, primum pervolverem, atque tum tantum quasi singulorum nomina perquirerem, ut ad tuas ad Polum Card. de Flaminii nostri obitu perveni, in iis constiti, atque statim totas et amanter et dolenter perlegi, cum quibus quas illis postea Polus rescribit, simul una. Ea enim mihi quoque cum eo intercessit amicitia quam mea de illo, atque ejus de me publica testantur scripta; cujus et mortem cum Pigna haud humane sum lamentatus. Quarum litterarum lectio mihi vulnus illud quod in ejus morte accepi, etsi id quidem ad quamvis ejus memoriae recordationem facile recrudescit, tum tamen mihi asperius atque acerbius refricuit, ut in hac, neque sine suis lacrimis, exclamarem: O Flamini, o vir Christiane, o aetatis nostrae nobilium studiorum splendor et decus, ut te

nimis cito Deus ad se accersivit! ut integerrimae vitae exemplum terris abstulit! ut bonarum artium studia quasi viduavit! nosque amicos tuos ea consuetudine privavit qua nulla jucundior, nulla honestior, nulla sanctior reperiri posset! Equidem, Victori, multos novi qui separatim in optimis studiis plurimum valerent; non paucos qui vitae integritate summe praediti, quique in amicorum consuetudine laetissimi, in Deum non vana religione exculti, in ceteros homines non levi caritate affecti essent, quique aliqua singulari virtute ab omnibus optime audirent: verum in quo haec uno omnia quae in nostro exsistebant, paucos reperio. His accedit tanta in omnes ejus humanitas ac facilitas, quanta in ipsius scriptis palam elucescit; quo uno cadente, haec omnia bona concidére. Quare cum communi omnium caussa, tum mea et separatim, qui illo tanto amico sum usus, etsi haec levissima doloris mei est significatio, jure optimo, quoties ejus aliquid mihi occurrit recordationis, possum humanitus ingemiscere. Sed o nos imprudentes, Victori, homines, atque etiam in longioris aetatis usu parum consulti! qui non videmus, idem desiderium quod nobis sui Flaminius decedens reliquit, nos quoque paullo post, etsi id sit quod diu, nostris nostri esse relicturos; hoc est, Flaminium ipsum, ut Polus, ut Priulus fecere, brevi esse consecuturos. Quare mecum rectius (ut de me nunc agam, qui LXXV. annum ingressus sum) agetur, si ab hujus continuo luctu ad meum hinc discessum toto me comparem animo, atque cum meo Christo, qui mihi prius moritur, fideliter commoriar: quam mentem (quando is in quos vult, spirat) ut in me ita infundat, atque confirmet, ut nullis humanis illecebris, nulla tentationis vi evelli queat, illum ipsum Patrem nostrum rogo atque oro. Equidem quantum in me erit, mihi non deero; hoc est, ut ab istis nostris humanioribus, atque ingenuo viro dignis studiis ad divina, ad salutem nostram certiora ac solidiora studia studium meum convertam; atque in iis quod pusillae reliquum est vitae, totum consumam, simulque ad

treis illos optimos viros alio nunc in statu beate agentes, hinc evolem; eorumque numerum feliciter adaugeam. Vale.

Ejusdem Bartholomaei Riccii Epistola ad Nicolutium Pignam in Flaminii mortem. Lib. 4. Epistolar.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

NICOLUTIO PIGNÆ S. D.

Lugebat Solon filii obitum, ac nullo fine dolorem suum lamentabatur: amici omnes, alius aliam ei consolationem afferebant, in his quidam eum etiam accusabat. Quid tantum, inquiens, lacrimis indulges, cum iis nihil proficias? cui Solon inquit, Immo hoc uno lamentor, querorque, quod nihil proficio. Ego eo modo tibi respondere possum, Nicoluti: nam si tot meis lacrimis Flaminium meum ab inferis aliquando excitassem, lugendi finem jampridem fecissem: quoniam vero id non assequor, moleste fero, hancque cum vitae meae fine lugendi finem faciam. Amavi illum mutuo quadraginta annos, eaque nostra amicitia fuit quae nullum fucum, nihil ficti, nullamque amandi aliam caussam haberet, quam quae pares conjungit. Ad id accedebat, quod communibus ejus generis usi sumus amicis: in quibus Julius Camillus, Priulius, Hector Cocchius, Augustinus Abiosius: separatim autem (ne in meas lacrimas jacturam quam bona studia in hujus obitu fecere, huc quoque revocem) quantum ego huic debeam, omnes multis ab hinc annis scire possunt: cujus hortatu, ac paene impulsu Apparatum Latinae Locutionis in vulgum edidi. Hoc addidi, quia inde aliquid nominis videor adeptus esse; certe nihil infamiae sum consecutus; ut si tantum meum erga illum amorem tot lacrimis prosequor, mirum nemini videri debeat. Quin ego fateor, quoties mihi in mentem, qui prope in ea inhaeret, Flaminius redibit, me toties ei suas lacrimas

suaque suspiria largiter esse redditurum. Non quin consolatio tua mihi fuerit gratissima, quae iis rationibus conscripta erat quae plurimum ad consolandum valent, quaeque ab eo in me animo qui mihi amicissimus est, proficiscuutur: sed ego ita sum in tales meos, ut eos vivos cupiam, mortuos tum mea tum omnium etiam utilitate valde doleam atque lamenter, ac nobiscum mirum in modum desiderem; in quibus unus Flaminius nunquam satis mihi est lugendus, nunquam satis desiderandus, qui suis Musis omnes Principes oblectare; qui juventuti, qua recta via in Parnassum ascenditur; qui cum optimis scriptis, tum integerrimae vitae exemplo, ut Deus colitur, omnibus ostendere posset. Et hic perpetuo a cunctis populis non jure optimo erit defleudus? et qui hacc norint aut nunc a me audiunt, non continuo meeum exclamabunt, o Flamini, o Flamini, quo nobis ereptus es? At in caelum sublatus est: Deus enim, unde prius venerat, ad se illum revocavit. Is eo tandem pervenit quo sancta vivendi ratione semper aspiravit; ubi nunc, quam Deus in suum Filium credentibus pollicetur, aeterna gloria perfruitur. Quid tu illi qnasi tantam felicitatem, quam in Deo semper speravit, ex tot ac tantis miseriis elapso invidere videris? quid tuis questibus illi quietem eam interturbas? Quo enim eum reposcis, aut desideras? num fortasse ut suo optimo stomacho redeat? ut Christi honori gratuletur aliquando? ut bonis hominum animis fruatur? ut fidem eorum probet? ut cetera his multo graviora et perferat et patiatur? quin ego arbitror, qui ei amici fuerunt, omnibus optandum esse, si viveret, ut ex his miseriis excederet, ne haec et ejus generis cetera complura videret. Recte quidem, unaque mihi haec omnium consolatio adhibetur maxima, quod ex tot malis in sempiternam gloriam evolarit: quod cum divinis ac veris Musis versatur: quod alios cantus, alios versus, alios hymnos cum suis Poëtis cantat, atque scribit: ubi Davidis citharam illam quam hic tam splendide aemulatus est in Dei summi laudibus, videt, atque reveretur.

Quem, contra Vates divinus complexum tenens, gratias illi agit immortales, quod suos versus melioribus numeris astrinxerit, Latinaque dictione illustrarit: atque ita in Deum ambo conversi ad novam citharam, ad nova plectra praestantes ejus laudes concinunt. Sed haec mihi aliqua ex parte levant, non tollunt dolorem universum, cui reliquo suae lacrimae aequo jure (quod facio) dandae sunt. Tu vero laete age ac Vale.

PAULLI MANUTII

Epistola Italica ad Bartholomaeum Riccium in mortem M. Antonii Flaminii Lib. II. Epistolarum Italicarum ejusdem Manutii pag. 56. Edit. Venet. Ald. 1560. in 8.

Non so che fie di Roma. So bene che, siccome facilmente può nascermi desiderio di rivederla, se non per altro, almeno per godere un mese gli amici i quali di continuo mi chiamano, così non facilmente può cadermi nell' animo di rimanervi. Egli è vero che Roma è terra di fortuna; e che la fortuna spesso fa maravigliosi effetti: ma io oggimai per molte cagioni ho messo freno alle speranze, sicchè più non mi trasportano. E che volete voi ch' io più desideri? vivo assai onorato, e veramente vivo, nella mia patria: e che patria? forse oscura e vile? Venezia, reina dell' Europa; quella che tanto piacqne al Riccio, che lo invescò, e tennelo tanti anni. Morì il Flaminio, e morì insieme la gentilezza, la bontà, la gloria de' buoni. Qual è sì duro cuore che non s' intenerisca pensando alla sua morte? Debbo io maravigliarmi che il Riccio ne pianga, che non solamente è uomo, ma è fra gli uomini umanissimo? Maravigliomi che le fiere istesse, alle quali la natura negò voce significativa, con mesti modi non iscuoprano dolore: che quantunque elle non hanno che fare con noi, per esser

la nostra specie privilegiata di ragione; nondimeno se si sono trovati alcuni uomini i quali hanno pianto la morte di alcune favorite bestie; quanto più dicevole che le bestie piangessero un uomo? Consento che sarebbe maraviglia sì, ma maraviglia ragionevole: perciocchè vuole la ragione, che una estraordinaria morte sia da un estraordinario accidente accompagnata. Che può dire il Pigna, quantunque sia di sottilissimo ingegno, per raffermare il corso delle vostre continue lagrime? che dirà la dotta Musa dell' acutissimo Didaco per dare a me conforto in così giusto dolore? se proverà che non sia lamentabile la morte del Flaminio e degna di copiosissimo pianto, proverà insieme che la terra sia leggiera e 'l fuoco grave. Bisognerebbe prima negare che l' uomo fosse razionale. Conciossiachè l' anima nostra, perchè è razionale, conosce; e perchè conosce, è necessario che si dolga del suo danno. Già non nego io che il Flaminio per mezzo della terrena morte non sia fatto partecipe della celeste vita; e che ora in compagnia del suo David e dell' altre sostanze incorporee non goda quella vera e solida felicità, non definita dal tempo, non alterabile dagli accidenti, non comprensibile da mente umana. Non si duole il Riccio, nè il Manuzio che il Flaminio abbia ottenuto il desiderato premio alla sua innocentissima vita. Non sono eglino così invidiosi al bene dell' amico. Di che si dolgono adunque? della loro particolare sciagura: che non rivedranno più l' amabile aspetto di chi tanto gli amò: non gusteranno i dolci costumi: non udiranno le sensate parole. Dolgonsi ancora per la riputazione della Italia, la quale in gran parte si appoggiava al Flaminio, come a ben ferma colonna; ed ora, caduto lui, a gran fatica si sostenta. Laonde cerchino pure ed il Pigna a voi, ed il Didaco a me di porgere conforto: che, per quanto io ne creda, noi averemo più cagione di amarli per il desiderio, che di ringraziarli per l' effetto: non perchè i loro rimedj non sieno salutiferi e buoni, ma perchè non è sanabile la

26

piaga. Pregovi a raccomandarmi all' uno ed all' altro, e a dire particolarmente al Didaco, ch' io aspetto avidamente la sua Ode, per confermarmi nella opinione ch' io ho dell' ingegno suo, natami dalle parole di molti, e massimamente dal testimonio vostro, il quale stimo più, che non istimava l' Omerico Agamennone il consiglio dell' attempato e savio Nestore. Attendete a star sano: e poichè di continuo lavorate intorno a' vostri libri De Gloria, *non dirò altro, salvo che vi ricordiate che scrivendoli, scrivete della gloria di voi medesimo. Di Venezia, a' 28. di Aprile 1550.*

HIERONYMI PONTANI (1)

Forocorneliensis Epistola Italica ad Julium Zarrabbinum Forocorneliensem de obitu M. Antonii Flaminii, cujus autographum exstat apud Franciscum Mariam Mancurtium.

A GIULIO ZARRABBINO

Da Imola, mio sempre Onorando. A Imola.

M. Giulio, mio Onorando.

Poichè a Dio è piaciuto di chiamare a sè il nostro M. Marcoantonio Flaminio, io ho giudicato essere mio debito darvi avviso di questo, e della disposizione ch' egli ha fatta delle cose sue, e massime di quella parte che s' appartiene a voi. Egli è ben vero che mi duole infino all' anima d' esser nunzio d' una tanta perdita, quale è quella che voi, anzi tutti noi, tutta la patria nostra, anzi tutto il mondo ha fatta per la morte d' un

(1) Vide Carm. Flam. ad eumdem pag. 152. et 186. De Zarrabbina familia vide Mancurtii Epistolam ad Cajet. Vulpium in fine Carminum M. A. Flam.

uomo così raro e così singolare ; ma poichè a Dio è piaciuto così , e che pure l' avete a sapere , non è se non ufficio mio di farvelo sapere . Saprete adunque che alla quartana di M. Marcoantonio sopraggiunse alli 11. *del presente un flusso , ed al flusso in ispazio di due dì sopraggiunse una febbre continua , ed alla febbre un mal di costa , che lunedì passato presso alle due ore di notte lo fè passare di questa misera e fragile alla beata eterna vita ; del che ne possiamo bene esser certi , alla grazia che Dio gli ha data , ed a i segni ch' egli ha fatti evidentissimi d' una unione con Dio la maggiore che si possa vedere , come potrete anco comprendere da quel ch' io ne scrivo al nostro M. Benedetto* (1). *Ma , quanto s' appartiene alla disposizione de' suoi beneficj , egli ha voluto che l' Abbazia di Bologna* (2) *sia del Vescovo Beccatello ; il Priorato* (3) *di Faenza , di M. Cesare Flaminio* (4) *, e quel di Bardolino* (5) *, d' un figliuolo di M. Antonio dalla Torre , con pensione di cinquanta scudi d' oro a M. Gabbriello* (6) *vostro figliuolo . Dell' altre robe sue egli ne ha disposto , come vedrete per una lista ch' io vi mando ; la qual lista M. Marcoantonio fece scrivere a M. Donato Rullo quel dì medesimo che passò di questa vita . L' anno passato egli fece testamento , e lasciò suo erede universale il Cardinale* (7)*: ma per questa lista poi ha fatto sapere a S. S. R. quel che voleva si facesse delle cose sue ; e così si farà : e S. S. R. darà ordine che voi e gli altri abbiano tutto quello ch' è piaciuto a M. Marcoantonio che voi abbiate . I denari in tutto che ha lasciati M. Marcoantonio sono mille e ducento scudi , de' quali ne sono trecento*

(1) Flaminio ; di cui vedi nell' Indice alla lettera F.
(2) Di Valle di Lavino ; vedi nell' Indice alla lettera L.
(3) Di S. Prospero .
(4) Vedi nell' Indice alla lettera F.
(5) Nella Diocesi Veronese . Vedi il Carm. ad Lud. Strozzam .
(6) Vedi a carte 360.
(7) Reginaldo Polo.

in Roma nel Monte della Pietà : di questi ha pensato il Cardinale dare i ducento ch' egli ha lasciati a vostro figlio, ed i cento ch' egli ha lasciati a M. Onorio (1), *è però li farà scrivere sul Monte a nome loro. Voi poi avviserete quel che vorrete che se ne faccia, ed io farò sempre, senza esser ricercato, tutto quello che sarà in servigio vostro e di tutti i parenti di quella santa memoria di M. Marcoantonio. Ma perchè io non posso ben saper qual sia l' animo vostro, fatemelo sapere; che mi troverete sempre prontissimo a servirvi. Io so quanto vi amava M. Marcoantonio. Vi assicuro che in me troverete sempre il medesimo amore e la medesima volontade; così piacesse a Dio che ci poteste trovare il medesimo valore; ma quale io mi sia, sarò sempre tutto vostro. Resta che in tanta perdita, quale è stata questa, voi cerchiate di conformare la vostra colla volontà Divina, e contrappesare la detta perdita collo acquisto che ha fatto quell' anima santa della beatitudine eterna; alla quale il Signor Dio per sua misericordia conduca ancora noi.*

In Roma. A' 22. *di Febbr. del* 50.

A' vostri servigi sempre prontissimo
Jeronimo Ponte.

ANTONII CARACCIOLI CLER. REGUL.

Testimonium de M. Antonio Flaminio pie catholiceque defuncto, in Vita Paulli IV. pag. 54. *edit. Colon. Ubiorum* 1612. *apud Jo. Kinckium in* 4.

Vixit postea Flaminius annos aliquot, et catholice ac pie diem obiisse suum, vel ex eo cognosci potest, quod

(1) Flaminio. Vedi la suddetta lettera del Mancurzio al Volpi, a carte 369.

receptis devote Poenitentiae ac Sacri Viatici mysteriis, et constanter pronuntiata Romanae Fidei formula, adstante et juvante Carapha, animam spe bona cumulatam efflaverit. Rem mihi locupletissimus (1) testis hoc modo narravit. Anno superioris saeculi quinquagesimo (eo enim Flaminius obiit, non autem quinquagesimo secundo, ut alii scribunt) ad moribundum Flaminium, qui tum non longe a Vaticano habitabat colle, Jacobus Herculanus Vaticanae Ædis (ut nunc loquimur) Altarista Panem Angelorum emigranti porrecturus deferebat. Hunc Carapha, pressus licet profundo senio, cum omni sua familia pedibus, uti solebat, prosequi voluit, praemonito interim sacerdote qua se ratione cum Flaminio gereret. Ad eum itaque cum pervenissent, Carapha se post terga sacerdotis abscondit, periculum facturus num aegrotus fidem catholicam integre ac strenue fateretur. Ergo antequam sacro illum Viatico Herculanus instrueret, fidem poscit catholicam. Ille extemplo Symbolum recitat, libere professus se cum Orthodoxa Romana Ecclesia omino sentire, in cujus gremio mori felicius sit, quam ab initio nasci. Tum Carapha sacerdoti ad aurem insusurrat ut praeterea articulum Transubstantiationis exposcat, veritus scilicet ne qui humanioribus litteris apprime delectabatur, vocem illam ab Ecclesia salubriter inventam, more haereticorum, qui putide sunt elegantuli, paululum exhorresceret. At ille, qui jam didicerat, nihil esse elegantius quam quod Christi sponsa probasset, illico elata, ut poterat, voce, *Transubstantiationem* iteravit: His auditis, exsiliens Carapha prae gaudio se se in conspectum illius dedit, asseditque agenti animam ad ultimum usque spiritum.

Eadem iisdem verbis Alphonsus Ciacconius Ord. Praedicatorum narrat in Vita ejusdem Jo. Petri Caraphae Cardinalis, postea Paulli IV. Pont. Max. Tom. III. columna 606.

(1) Lud. Torres Card. Archiep. Montisregalis.

SELECTA

ILLUSTRIUM POETARUM

DE M. ANTONIO FLAMINIO

TESTIMONIA.



JO. ANTONIUS FLAMINIUS PATER

Lib. III. Epigrammatum, pag. 104.

Nate, decus patriae, generis laus ampla, tuique
  Certa quidem spes, et gloria summa patris,
Accipe qua debes, et qua pietate parentis
  Es solitus semper dicta verenda tui.
Paene puer Romam ex genitore volente profectus,
  Idque tibi felix, et mihi cessit iter.
Sic tamen, ut, postquam Decimo data nostra Leoni,
  Et tua cum nostris munera juncta forent,
Unicus ad carum mea per mandata parentem
  Speratam votis ingrederere viam:
Dîs aliter visum; nec poenitet isse, nec unquam
  Ægre, quidquid erit, mens feret illud iter.
Magna tibi parta est Italûm jam fama per orbem,
  Inque dies nomen crescit ubique tuum.
Ergo quod cupiam, quando sic fata tulerunt,
  Non longum est, nec te vota paterna latent.
Ne tua mutetur vivendi formula, sitque
  Praeteritae similis vita futura, face.
Sic decus augebis: sic gloria coepta virescet,
  Fama nec extremum sentiet ista diem.

IDEM

Lib. III. Epigrammatum, pag. 108.

Scripta tibi libro duplici jam plurima sunt, quae
Silvarum titulo conveniente vocas:
Juncta meis Decimo quae per te missa Leoni
Perpetuum nobis jam peperere decus.
Nam Pater ipse Patrum magna nos laude secutus
Extulit ingenti vocis honore suae.
Famaque per Latium passim jam fusa perennis
Viribus exemtum mortis utrumque facit.
Quid potuit majus nostris contingere votis?
Gratia quae studiis major habenda fuit?
Praemia sunt nullis intermoritura diebus,
Tollere quae ferrum, nec queat ignis edax.
Haec pluris, fili, tibi sint et divitis Hermi,
Quam quod et auriferi versat arena Tagi.
Sic igitur vivent, sic parta laude virebunt,
Nomina nec Stygiis nostra prementur aquis.

GUIDO POSTHUMUS

In Epicedio in matrem, impresso Ferrariae per Jo. Maziochum Bondenum 1517. *die* 30. *April. in* 8.

Marce, decus juvenum, une tuo maturior aevo,
Flaminiae gentis splendor, qui limina vixdum
Pubertatis adis, atque Orphea cantibus aequas:
Facundum et post terga patrem virtute relinquis:
Linqui se magno laetum illum etiam intervallo.

NICOLAUS ARCHIUS

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM

Lib. II. Numerorum pag. 213. *Num. XVI. novissimae editionis Cominianae* 1739. *in* 4. *Tom. II. Carm. Hieron. Fracastorii, Adami Fumani, et Nicolai Archii.*

Audio, te dudum Veronae vivere, teque
Addictum fore servitiis Antistitis almi
Giberti, quo nil dederunt bona numina terris
Cultius aut gravius, dum publica religionis
Munera pertractans reficit labentia templa,
Integrat et mores, decretaque prisca parentum
Jamdudum antiquata, sacrosque instaurat honores.
Gratulor ergo tuis partim succedere votis,
Quod liceat sanam et tranquillam vivere vitam,
Optatumque diu studiorum carpere fructum
Musarum in gremio, et Verona altrice virorum,
Quam placido labens Athesis praeterfluit alveo.
Parte alia, absentem doleo, quod non licet uti
Colloquio assueto, teneat vicina licet me
Mantua. Populifer miserum me Mincius audit
Saepe tua argutis clamantem nomina ripis,
Saepe repercussis iterantem vocibus Echo:
Echo iterat, silvae referunt vallesque loquaces
Flaminium. Te Felsinea cum saepe solerem
Urbe frui, cum fulgebant felicia caeli
Sidera, cum laeto radiabant lumine soles,
Mecum partiri curas, mecum ipse solebas
Propter aquam parvi componere carmina Rheni,
Et mecum Graja pariter Latiaque Minerva
Auctorum abstrusos sapientum exscalpere sensus,
Et suavem gelidis captare in vallibus auram,
Sidere cum rapido coqueret Sol fervidus agros.

Ipse sodalitii nunc immemor, aut vaga mente
Sidera percurris, vel, ut audio, sacra parentum
Evolvis monumenta, et Grajûm scripta virorum,
Frastorumque audis reserantem arcana deorum,
Antiquasque artes, atque omnigenam Naturam;
Parte tui ut meliore voles super atria caeli,
Inter honoratos coetus, manesque beatos
Felicis Turri, atque inter loca clara piorum.
Nonnunquam te Vida tenet, tua maxima cura,
Carmine qui intacto doctas permulceat aures,
Virginis insuetos partus et dum canit ortus
Mixti (1) hominis mixtique Dei et mira acta recenset.
Tu tamen antiquos ne dedignere sodales:
Exspectate veni, ac socios solare querentes.
Nonne audis *veluti* gemitu suspiret amaro
Laelius? ut Strozza absente intabescat amico;
Dum lacrimas nostris juvat immiscere querelis?

M. Ant. Flaminius ad Nic. Archium Epistolam Italicam dedit. Exstat in collectione Paulli Gherardi Venet. 1544. *et* 1545. *in* 8.

HIERONYMUS FRACASTORIUS

Ad M. A. Flaminium et Galeatium Florimontium,
In fine Operum.

Dum vos fatidicos vates, arcanaque sensa
Volvitis, atque animum caelesti nectare alentes,
Alloquiis, magnoque Dei consuescitis ori
Felices duce Giberto, Campense magistro;
Quid dicam miserum me agere, et quam ducere vitam,
Irrequietum animi, et quaerentem indagine vana
Naturam semper fugientem? quae se ubi paullum

(1) Hoc dictum est magis poetice quam theologice; ait enim Ecclesia Catholica de Filio Dei homine facto, eum nec mixtionem passum esse, neque divisionem.

Ostendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, conversa sequentem eludit, et angit
Macrentem seniique horas, cassumque laborem?

EJUSDEM

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM

GRATIARUM ACTIO.

Hoc Carmen exstat M. S. apud Franc. Mar. Mancurtium Forocorneliensem, editum postea Patavii apud Cominum 1739. *opera Cajetani Vulpii Patavini Viri Clariss. in Secunda editione locupletissima Carminum Fracastorii, Fumani et Archii Veronensium Poetarum. Tomo I. pag.* 173. *Est autem responsio ad Flaminii Epigramma pag.* 156. *hujus editionis.*

Quas tibi reddemus grates, dulcissime vatum,
Quod nos tam claro fueris dignatus honore,
Nomen uti nostrum dignis Jove prodere chartis
Velles, suavis amicitiae nostrae monimentum
Egregium, quod nulla dehinc obliteret aetas,
Et multi invideant nobis post fata nepotes?
Scilicet hoc tua mens semper tulit, hoc tua virtus
Inclyta, non Reges ut mirarere superbos,
Quos vulgus stupet insanum de divite gaza,
Et solos, laudans, ducit, dicitque beatos;
Sed si quis sceleris vacuus, et pectore puro
Vitam agat, atque animum studiis intendat honestis,
Hunc tu Regum opibus praefers et Regibus ipsis,
Musaeoque tuo lepido impertiris honore.
Macte, vir eloquio princeps, et carmine princeps:
Macte animis, macte ingenioque, et pectore sancto,
Non exspectatnm Latiis decus addite Musis.
Namque tuas laudes spargens vaga fama per urbes,

Ad caelum te laeta vehit plaudentibus alis,
Dum nos versicolore trahis super aethera curru.
Vive diu, vates vatum doctissime; vivent
Innumeros veluti tua carmina lecta per annos.
Vive iterum felix, nostri lux maxima secli,
Cum Polo, unanimique tuo dulcique Priulo;
Farnesî ut possis laudes aequare canendo,
Quem colit, atque suis oculis plus diligit una,
Pulcher honos pulchrae Italiae, pulcherrima Roma.

JO. ANTONIUS VULPIUS COMENSIS

De M. Antonio Flaminio, qui putabatur mortuus, ad Franciscum Taurellum.

In Deliciis Italorum Poetarum Parte II. pag. 1444. *et in calce Opusculorum Jo. Antonii Vulpii junioris, inter Jo. Antonii Vulpii senioris Carmina quae exstant omnia, ibidem primum collecta. pag.* 357.

Taurelle, optime mi patrone, et idem
Olim in Urbe sodalium meorum
Prime, Flaminius tuus meusque,
Quem cuncti modo, mortuum putantes,
Luxerunt juvenes, bonum ut parentem,
Luxeruntque senes, bonum ut sodalem,
Vivit atque valet, Deo favente,
Quem sancte coluit pieque semper.
Sic est. Flaminium meum, tuumque
Viventem alloquor, audio loquentem
Illa nectare dulciora verba,
Dicentemque gravedini salutem,
Vitae dicere quam antea parabat.
Verum, ne auxilio medentum et arte,
Aut labore putes eum retentum
In vita. Jam animus solutus arto

Nexu corporis incolebat astra,
Nil mortale videns, nihil caducum:
Sed nobis fuit ille restitutus
Votis et precibus mei Priuli.
Namque adferre solent Deo supremo
Vim vota, atque hominum preces piorum.

BASILIUS ZANCHUS

In Epistola ad Petrum Victorium, quae adhuc inedita apud Victorios Nepotes servatur; et Lib. III. Carminum Zanchi pag. 89. edit. Rom. apud Valerium et Loisium fratres Doricos MDL. mense Januario in 8. et Lib. VII. Carminum edit. Basileensis apud. Joan. Oporinum MDLV. in 8. pag. 227.

Imparibus ludit numeris dum carmina doctus
Flaminius, Lyricis solvit et ora modis;
Obstupuere undae Libethrides: andiit ipse
Pieridum rector, Pieridumque chorus:
Et dixit: Mea progenies, mea munera et artes
Do tibi: Musarum sceptra secunda geres.

IDEM.

Eodem Libro, pag. eadem.

Miraris quicumque mei nova carmina lector
Flaminii, et Phoebo digna canente putas,
Quid faceres, si nota tibi probitasque pudorque,
Qualis Saturno regna tenente fuit?
Hunc resonat Romana cavis e collibus Echo;
Et Vaticani Numinis aura fovet.

Eidem Zancho ab aliquibus tributa sunt tria illa Epigrammata in laudem M. Ant. Flaminii, Psalmorum Lyrici Paraphrastis, quae post illius Paraphrasim leguntur, pag. 242.

ACHILLES PHIL. BOCCHIUS

Respondet Epigrammati XXIX. libri II. Carminum M. Antonii Flaminii. Ex Tomo II. Carminum Illustrium Poetarum Italorum. Florentiae 1719. *in* 8. *pag.* 354.

Nostri floscule saeculi, decusque
Vatum, et deliciarum ocelle, Marce,
Si Achillem tibi vis suos ocellos,
Seu quid carius est suis ocellis,
Debere, unanimum ut decet sodalem,
Noli conqueri, amabo, nec putare hunc
Vecordem usque adeo ut tuos amores
Lucejum insidiis lacessat unquam;
Namque hoc unanimum haud decet sodalem.
Sed nec te unanimum decet sodalem
Non confidere tam bono sodali,
Qui te plus oculis suis amavit
Semper, plusque oculis suis amabit,
Donec spiritus hos amabit artus.

I D E M

Ibidem pag. 355.

Salve, o prime sodalium meorum,
Jucundissime Marce, Marce tantum
Exspectate mihi, omnibusque amicis,
Venistine tuum revisum Achillem,
Penatesque suos, suumque patrem?
Venisti. O ter et amplius beatam,
O dignam niveo diem lapillo!
Te ne ego aspicio, alloquorque? an ista
Per somnum video? quid ajo demens?
Immo te aspicio, alloquorque praesens

Praesentem. En cape tamdiu negatos
Amplexus veteris tui sodalis.

JOANNES PLAZZONUS

In Deliciis Italorum Poetarum, Parte II. pag. 250

Flebat adhuc cari Benacus morte Catulli,
Crudeles referens per vada maesta deos;
Cum tandem undisonae cantantem margine ripae
Sensit suaviloquo carmine Flaminium;
Ac deus haec: jam flete nimis vale, amice Catulle,
Non Mors, sed rapuit te mihi Flaminius.

BERNARDINUS PARTHENIUS

Lib. II. Carminum.

Pendentem propere lyram
De clavo, pueri, tollite eburneam.
Informem ut nimium situ
Turpavit caries, et latebras sibi
Intus duxit aranea!
Nam ex quo me juvenum surripui choris,
Nec convivia virginum,
Nec rixae faciles, aut teneri amplius
Oblectant animum joci,
Ex illo Pholoë mî excidit, aestuans
Venisque intepuit calor.
Nam primum memini, seu raperet diem
Nigris Cynthia cornibus,
Seu Phoebus nitida luce reviseret
Terras Tethyos e sinu,
Cantando Pholoën (ah nimium ignibus
Ingratam Pholoën meis!)
Frondentis platani condere nescios
Ramis sub patulis dies:
Nunc in gramineo caespite, garrulo

Qua lymphae trepidant pede,
  Lymphae Flaminii numine, queis vagos
Immensi aequoris in sinus
  Tectus non Athesis populeis comis,
Tauri fronte superbiens,
  Aut umbrosa secans glauca liquentium
Splendor Mincius amnium
  Urnam nobilior fuderit auream.
Salve, Mesule, ter, pater,
  Sertis caesariem necte virentibus,
Incurvaque canens lyra
  Hic mecum e thalamis instrepe vitreis:
Dicamus merita fide,
  Rupes quae aëriae, quae liquidi lacus,
Argutaeque procul nigris
  Innatae resonent montibus ilices.
Dum valles quibus emori
  Optavit, repetit Flaminius sacras,
Nympharumque cubilia,
  Et secreta deorum penetralia
Agrestum, imperia ex quibus
  Non regum, aut nitido marmore lucidae
Aulae, non tremulae infulae
  Pendentes bifido e vertice, non amor
Nullum non rapiens amor
  Ardentis Tyrio murice purpurae
Divellant. Amet hic, latens
  Nympharum in gremio, puniceas rosas
Inter degere, ubi specus
  Umbrosi, et gelidis fontibus instrepit
Lympha argentea, roscidum
  Qua gramen, sitiens dum Canis excoquit
Sole ardente alibi sata,
  Non rores teneros, non riguas aquas,
Non caelum pluvium invocat.
  At rident scatebris usque recentia

Vivis mollia pabula,
  Nec ponunt violae urente meridie
Tutae purpureas comas.
*
Festos auricomae hic tibi
  Lustrant in numerum Naïades choros:
Hic lenes Zephyri tibi
  Impellunt solito blandius arbutos,
Vates, Pieridum decus.
  Umbras quis gelidas Palladis antraque haec
Muscosa, hos latices sacros,
  Hos lucos, tenera haec gramina nescia
Curarum, laquearibus
  Permutare velit Pontificum aureis?

SALMONIUS MACRINUS

In Deliciis Gallorum Poetarum, Parte II. pag. 559.

Non mirabilibus caruere haec tempora monstris;
  Te pariunt hominem namque ea tergeminum.
Flaccus, Aristoteles, Cicero sunt, Marce, renati,
  Qua primum enixa est te tua luce parens.

FRANCISCUS VINTHA

Lib. I Carminum Quinque Etruscorum Poetarum. pag. 27. *edit. Florent.* 1562. *apud Junt. in* 8.

Et Grajae, et Latiae pariter periere Camoenae,
  Ipsarum exstincto lumine Flaminio.
Proh dolor! et secum probitas, pietasque recumbunt.
  Tot bona quare uno funere Mors rapuit?

FRANCISCUS ARSILLUS SENOGALLIENSIS

De Poetis Urbanis ad Paullum Jovium.

Est et Flaminius nimium sibi durus, et atrox,
Cujus avena potest scribere quidquid avet.

JOANNES CASA

+

AD MANES FLAMINII

In Deliciis Italorum Poetarum, Parte I. pag. 682. *et in praeclara ejusdem Operum editione Florentina T. III. pag.* 1.

Flaminii Manes, instar mihi numinis, umbra
Flaminii, haec campis cernis ab Elysiis?
An tibi, quae nostri fuerat tam fervida cura,
Cocytus nigris eluit amnis aquis?
Tu solitus Priulique ausus compescere inanes,
Et molli versus frangere voce truces.
At nunc ille malo Galateum carmine vexat,
Et sanctum nobis pellit ab Urbe virum.
Tu ne ausus, Priuli, Galateum pellere ab Urbe:
Asperaque in dulcem dicere verba senem?
Tu ne auctor, Romae montani ut munera vici,
Fumosi ut curam praeferat ille laris,
Aureus ille senex, vitae cui licia Parcae
Intacta ducunt candidiora nive?
Qui nec principibus, Urbi nec scilicet aegrae
Formidet medicas adplicuisse manus;
Quemque adeo nemorum custos, pecorisque magister
Mandarit sacro summus adesse gregi;
Hinc eat, et fuscas ignoti ad flumina Melphae
Pascere cum vili conjuge pergat oves?

Quid si animis juvenumque senumque est illius aeque
  Dulcior Hyblaeis alba senecta favis?
Quid si illum retinent quicumque Amaryllida curant,
  Hujus ad exemplum peccet ut illa minus?
Uxorem hunc tamen ad vetulamque humilemque releges,
  Frigida ut in viduo ne cubet illa toro?
Quae puras pridem didicit perducere noctes,
  Et monitis casta est, et proba facta viri.
Sed tu, Flaminii potius jam nobilis umbra,
  Et multum insigni conspicienda lyra:
Ni te caeca hujus cepere oblivia lucis,
  Cum tibi Mors avidas intulit atra manus;
Huc ades, et Priulum compescas; nam male nobis
  Jamdudum insolito versus in ore sonat.

JO. BAPTISTA PIGNA FERRARIENSIS

Lib. I. Carminum. pag. 23. edit. Venet. apud Valgrisium 1553. *in* 8.

Nympharum decus, o Flamini, Apollinis,
  Cursum qui rapidi carmine Tybridis,
  Spirantemque morari Boream potes:
  Nec non praecipitem Notum;
Qui lenis cithara, sint licet asperae,
  Tigres, atque ferarum genus omnium:
  Latinoque movens pectine barbiton,
  Mulces corda virûm impia.
Si sic dum canis, et sistere flumina
  Possis perpetuo, et nubila tergere
  Cum venti celeres undique perstrepunt,
  Et sedare animos probe,
Plectro tange lyram; dicque modos quibus
  Crudelis nimium saevaque Lygida
  Sic aures modo amicas satis applicet,
  Ut jam sit mihi lenior.
Nam si feceris id, te mage redditum
  Cognosces celebrem, teque magis pium,

Quam si versiculis arteque barbiti
Placasses rabiem maris .

IDEM AD BARTHOLOMÆUM RICCIUM

DE M. ANTONIO FLAMINIO DEFUNCTO

Lib. I. Carminum. pag. eadem .

Ricci , quid o quid fletibus irrigas
Vultum molestis ; funera Flamini
Acerba cogitans fuisse ,
Et nimium lacrimosa cunctis ?
Cur tot modum nullum gemitus habent ,
Unquam nec absunt , sed tibi maxime
Surgentibus surgunt tenebris ,
Et redeunt redeunte Phoebo ?
Casum parentis Tantalides fleant :
Manetque semper per Lapithum genas
Humor , nec unquam sint quieti ,
Sed Phlegyam Tityonque plorent .
Se maceret cari nece filii
Rex asper in ventos dominus . Suis
Mors imperatoris molesta
Militibus sitientis aurum .
Hos namque vexant Tartara perditos :
Solum videntes hi Stygias faces ,
Doloribus certis premuntur ,
Suppliciis cruciantur omnes .
Terrena linquens Flaminius loca
Ad caelites e carcere noxio
Volavit ; et sedes beatus
Sidereas petiisse gaudet :
Gaudet , suum se cernere Davidem ,
Qui libat illi basia nectare ,
Vultu sereno , dulciora ,
Ambrosiae madefacta succo :

Gandet, suum se tangere barbiton,
Ad qnod Latino carmina pectine
Canens, Palaestinos solebat
Ingenio penetrare versus.
Rex monstrat illi, quae superûm loca,
Quae fixa caelo sidera, motibus
Quae pulsa, quae dicenda voce,
Quae citharae celebranda chordis.
Ambo Deum sic tollere laudibus
Docti, sonoris et fidibus lyrae;
Hunc rite concinunt, et ipsum
Ante Patrem spatiantur ambo.
Quod si supremis hic fruitur Dei
Templis, in illo vivus, et aspicit
Quae noverat; si laetus hinc est,
Hinc fugiens procul esse tandem:
Cur ista, Ricci, te exanimat dies
Mens tristis omnes nescia ponere
Tot mollibus modum querelis?
Cur socium periisse ploras?

IDEM IN OBITUM M. ANT. FLAMINII.

Lib. III. Carminum. pag. 85.

Hic hic Flaminius jacet, viator.
Ille Flaminius decus Latinum;
Dulci qui ad citharam sono canebat
Non lusus Veneris, Cupidinisque,
Non contra superos minas Gigantum,
Sed faces animi beatiores,
Sed mentes hominnm Deo sacratas.
Hic hic est tamen ille morte pressus.
I nunc, et pia tura da, viator,
Si bonis eadem malisque Clotho.

ADRIANUS CRIBELLUS MEDIOLANENSIS

AD LECTORES DE M. ANT. FLAMINIO, ET PUB. FRANCISCO SPINULA.

Initio Paraphrasis carmine in omnes Psalmos, quam a Flaminio inchoatam, idem Spinula versibus absolvit. edit. Basileae per Petrum Pernam 1558.

Qui merito Caeli Regem flagratis honore
Tollere, et in laudes labra aperire suas,
Desinite Iliados pugnas eversaque regna
Pergamaque Argolicis discere adusta focis:
Nil juvat his celeres insumere vatibus horas;
Somnia nil praeter perniciosa canunt.
Praestat, adornatum regali Davida serto
Audire hymnisona mira referre lyra,
Ut varium stellis opifex perfecerit axem,
Ut steteriut jussu cuncta elementa suo;
Ut liceat letum fugere et nigri atria Ditis,
Elysioque, choris Caelicolûmque frui.
Flaminius lyrico cuncta haec modulamine profert,
Spinulaque; Aonii lumen uterque chori.
At fuit amborum quoniam mens una canendi,
Una sit amborum gloria et unus honor.

A. CALEMERUS PLANTINIDA

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM

In fine ejusdem Paraphrasis in omnes Psalmos ab eodem Spinula versibus absolutae.

Fatum dolebam, Flamini vates, tuum,
Nostramque jacturam omnium gravissimam,
Quod coepta non exegeris promissaque;

Ut omnis audiret Latina ora integrum
Quiritium plectro canentem Davidem,
Quod ipse Flaccus nec valeret eloqui,
Si Christianae deditus Musae foret.
Sed jam Deûm benignitate desino
Dolere, qui humanum genus sic temperant,
Ut quod nequiveris per obscuras ferae
Mortis tibi injectas manus absolvere,
Id Spinulae suo imperarunt, Flamini,
Ad hoc creato, ut perficiat opus tuum;
Ut quae reliqua sunt Davidis poëmata,
Per Italas urbes tua canat lyra:
Quae Publius praestaret ut feliciter,
Communicarunt spiritum Dii cum hoc tuum.
Qua de re ego ingenti triumpho gaudio,
Triumphat omnis civitas Insubrium,
Triumphat Europa: et tui manes simul
Cum illis triumphent et cinis: quandoquidem
Per Spinulam novis nitentem floribus,
In gratiam sui et sacrosanti gregis,
In Numinisque gloriam augustissimi,
Voti tui fecere te Dii compotem.

JO. MATTHÆUS TOSCANUS

In Peplo Italiae Lib. III. num. 128.

Puram Flaminius Latinitatem
Ter quinis prope saeculis sepultam
Excitavit ab Inferis, et arte
Mira restituit suo nitori
Eidem quem prius obtinebat illo
Saeculo Ciceronis et Maronis.
Gaude, Roma nitens, beata, gaude.
An quidquam poterat tibi obtigisse
Insperatius hoc beatiusve?
Nam quod fata tibi dedere avara
Olim permodicos fruendum in annos,

Post commercia foeda barbarorum,
Tot incendia, totque post ruinas,
Linguae munditias politioris,
Et flores nitidae tibi loquelae,
Felix Flaminii reduxit ardor:
Qui sacris studiis parem dicavit
Curam: ut nec magis hoc pius poëta,
Nec mystes fuerit magis disertus.

M. Ant. Flaminio, Poetae, Oratori, Philosopho, Theologo aeque illustri, Forum Cornelii fuit patria. Exstant ejus poemata vario tum carmine, tum stylo elegantissime elaborata. Exstat et Psalmorum triginta poetica, totius vero operis Psalmorum soluta oratione Paraphrasis. Leguntur etiam Italico sermone purissime conscriptae Epistolae.

FRANCISCUS LUISINUS

In Carmine ad Franciscum Denalium Regiensem Poetam, parte I. Rhythmorum Italicorum ejusdem Denalii pag. 516. *edit. Bonon. apud Alexandrum Benaccium* 1580. *in* 4.

Vatibus accedes nostratibus; et tibi cultus
Jungetur silva Bembus in Elysia;
Nangeriusque comes, magnique ingentior umbra
Synceri, gressu Flaminiusque pari.

GABRIEL FLAMINIUS

FOROCORNELIENSIS

IN OBITUM M. ANT. FLAMINII PATRUI SUI.

Lib. III. Carminum, quae adhuc inedita apud Forocornelienses Flaminios nepotes servantur.

Te gemit exstinctum formosi mater Amoris,
Flamini, et exstinctum Musa Latina gemit:

Illa suos uni dederat tibi dicere lusus;
  Ausoniae dederat haec decus esse lyrae.

I D E M

AD M. ANTONIUM TURRIANUM

DE M. ANTONIO FLAMINIO

PATRUO SUO MORTUO

Lib. III. Carminum.

Flebile nil quamvis resonent nisi carmina nostra,
  Et mens innumeris aestuet icta malis,
Postquam saeva deae torquentes stamina Parcae
  Diripuere meum Pieridumque decus:
Postquam pallidulos ducens Mors impia questus,
  Flaminium campos misit in Elysios;
Attamen et virtus et vivida fama suorum
  Languentis minuit maestitias animi;
Et suadet dulces Musarum expromere cantus,
  Paullisperque undas tangere Castalias.
Scilicet afflictos, misero et squallore jacentes
  Aspiciunt placidis numina luminibus.

FRANCISCUS DENALIUS

Carmine ad Gabrielem Flaminium juniorem. Ex Codice Manuscripto ejusdem Gabrielis.

Quid facis, Gabriel, quid in beato
Otio facis? an Thalia dictat
Quid inter Satyros tibi petulcos,
Inter et Dryades cavis in antris
Dignum Flaminio tuo? jocosi
Cujus Hendecasyllabi et diserti,

Cujus et simul Attici lepóres
Vivent, dum tenui rigabit herbas
Rore Memnonis alma mater, et dum
Piscis flexivagus revolvet undas.

JOANNES CARGA.

Carmine ad Gabrielem Flaminium juniorem etc.

Flamini lepidissime, expolita
Tua carmina saepius relegi,
Et si quid potui videre, vidi
In ipsis (me ita ament dii) beatum
Candorem Patrui tui et lepórem
Et venam omnigenam et sales repostos
Et rerum ordinem et elocutionem,
Et quae maximus omnium poëta
Praesefert Patruus tuus . . . . . .

ANONYMI CUJUSDAM

Versio Epigrammatis 16. lib. III. M. Antonii Flaminii, quae exstat in libro a Claudio Ptolemaeo edito, cujus inscriptio est: *Versi e Regole della Nuova Poesia Toscana. In Roma per Antonio Blado d' Asola. Nel* 1539. *in* 4.

A UN RUSCELLO.

Nato de' fonti puri, Rivo bel, delle Ninfe gelate,
Che col piè liquido giù per i boschi vai,
Se, vago, nel ricco bello orto di Fillide vieni,
E l' ardente sete spegni a' dorati pomi,
Ella daratti baci ben cento, là onde farassi
L' acqua tua più dolce del favo dolce d' Ibla.

LUDOVICUS AREOSTUS

In Italico Poëmate inscripto : *l' Orlando Furioso*, Cantu XLVI. Rhythmo XII. M. Antonium Flaminium inter excellentiores sui temporis Poëtas recenset.

Giulio Camillo, e par ch' anco io ci scerna
M. Antonio Flaminio e 'l Sanga e 'l Berna.

Non erit autem abs re hoc loco judicium illud subjicere quod Simon Fornarius in Commentario suo in Areosti Poëma de Flaminio tulit.

Marco Antonio Flaminio da Imola fu Scrittore di cose sacre, e filosofiche, ma Poeta Latino egregio; di che fan fede le composizioni sue da natural vena ed artificiosa prodotte.

JOANNES GEORGIUS TRISSINUS

In Italico Poëmate inscripto : *l' Italia Liberata da' Goti*, Libro XXIV. pag. 123. edit. Rom. 1547. M. Antonium Flaminium in coetum Illustrium Poëtarum aetatis suae refert.

E l' ottimo Pontano e 'l Sanazzaro
E 'l Sadoleto col Flaminio e 'l Bembo
E 'l Fracastoro e 'l Navagero e 'l Cotta.

LUDOVICUS DULCIUS

In Carmine Italico ad Franciscum Spinulam. Volum. I. Rhythmorum Illustrium Poëtarum, Gabriele Jolito collectore, pag. 623.

Voi col Flaminio e col gran Bembo andate,
Col Fracastor, col Navagero a paro,
Glorioso facendo il nome vostro.

EMANUEL GRIMALDUS

In Carmine Italico in Librum IV. Rhythmorum Excellentium Virorum ab Hercule Bottrigario collectore conjecto, pag. 58. edit. Bonon. MDLI.

Al mio poco valor, lasso, mirando,
Ed al molto di lor che 'n terra adoro,
Casa, Flaminio, e 'l mio buon Varchi e 'l Caro.

ALEXANDRI PICCOLOMINEI

Carmen Italicum ad M. Antonium Flaminium, numero LXXII. ex Centum ejusdem, edit. Rom. apud Valgrisium MDXLVIII.

Come quando 'l mar gonfia, e negro il giorno
Fan l' onde irate, ed altrui danno orrore,
Gran piacer è veder dal porto fuore
Navi ondeggiar, con quel periglio attorno;

Così tu puoi d' alta dottrina adorno,
Flaminio, il volgo immerso entro al furore
D' ambizion, d' ignoranza, odio e timore,
Mirar secur, che non pon farti scorno.

O stolte menti, o ciechi petti umani!
(Debbi tu dir) a pena un dì ci è dato
Di vita, e van desio cel turba e fura.

Non sentiam noi che esclama ognor Natura,
Che poco vuol per far altrui beato?
La mente pura, e i sensi intieri e sani.

Ad Piccolomineum Flaminii Carmen rescriptum exstat Libro VI. num. XXV. hujus editionis.

PETRI MASSOLI VENETI,

Postea Laurentii Monachi Cassinensis, Carmen Italicum ad M. Antonium Flaminium pag. 112. Tom. I. Rhythmorum ejus edit. Florent. apud filios Laurentii Torrentini 1564. in 8.

Col vostro canto bel destarmi sento
Dal mio sì lungo sonno, o Signor mio,
Che m' avea fatto por tutto in oblio
Quanto dal bene oprar s' ha di contento.

Il canto desta l' uom, che al sonno è intento
Degli error suoi sovente, e in buon desio
Di bene oprar l' accende, ognor che pio
È il canto e pien d' angelico concento:

Simile all' armonia de' vostri versi,
Onde di calde voglie altrui infiammate,
E del pensier che in Dio sol debbe aversi.

Spesso dunque, anzi ognor, Signor, cantate,
Acciocchè de' pensieri onesti e tersi
Colmar mi possa, di cui voi v' ornate

JO. BAPTISTA GYRALDUS

IN OBITUM M. ANTONII FLAMINII,

Volum. II. Rhythmorum Illustrium Poëtarum, Gabriele Jolito collectore. pag. 451. edit. Venet. apud Jolitum MDLXV.

Flaminio, ovunque sono a mirar volto,
Trovo chi 'l viso tuo forma e dipinge
Nel mio pensier, che pur tra sè si finge
Ch' anco in tutto da noi non sii disciolto.

E se l' immaginar durasse molto,
Siccome il ver da me ratto lo spinge,
Pace avrei col dolor che mi sospinge
A pianger la cagion che mi t' ha tolto.

Ma come un poco d' acqua non ammorza
Ardente fuoco, anzi divien maggiore
La fiamma, che s' oppone al suo contrario;

Così pe 'l falso immaginar, non vario
Dal mio primo languir; che 'l gran dolore,
Tosto ch' io scorgo il vero, hà in me più forza.

JACOBUS CINCIUS

IN OBITUM M. ANTONII FLAMINII,

Libro I. Rhythmorum Illustrium Poëtarum, Dionysio Atanagio collectore, pag. 79. edit. Venet. apud Ludovicum Avanzum 1565.

Stanco già di tardar, poichè scendesti
Come stranier nel gran mercato umano,
U' noi di merce d' ogni errore insano
Stiam carchi, e n' usciam poi miseri e mesti;

Tu lieto a quelle sedi alte e celesti
Tornasti ricco d' ogni onor sovrano,
E solo a' buoni, e d' intelletto sano,
Senno e desio d' eterno ben vendesti.

Io, che già tardi, e più col buon pensiero,
Flaminio, che col piè venni a far prede
Di cotai gemme e sì gentil virtute,

Al tuo partir, col pianto anch' io fo fede,
Tra molti, d' alto duol; benchè altri in vero
Piange il ben tolto, ed io l' ore perdute.

LUDOVICUS PATERNUS

IN OBITUM M. ANTONII FLAMINII.

In ejus Opere inscripto; *il Nuovo Petrarca*. pag. 478. edit. Venet. apud Andr. Valvassorium 1560.

Pianse la tua partita amaramente
Febo, e la cetra sua ruppe con ira:
Pianser le Muse, a cui le voci ispira
Amorosa pietà soavemente:

E piangendo dicean: Perchè repente
Sorte avara da noi ti parte e tira?
Fra questi allori almen canta e sospira,
Come festi tra noi vivo e presente.

Segnàr del Tebro nelle pure arene
Pastori e Ninfe la gravosa doglia;
Che memoria d' amor tutti gl' invita;

Quando squarciata la terrestre spoglia,
Volò lieta, sicura, e senza pene
L' anima tua, Flaminio, a miglior vita.

Nemo itaque fuit qui illum non extulerit maximis verissimisque laudibus, ejusque mortem non luxerit: omnes enim, in eo clarissimum eorum temporum lumen exstinctum esse atque sublatum, testati sunt.

AL CHIARISSIMO SIGNOR DON

GAETANO VOLPI

FRANCESCO MARIA MANCURZIO

Appena giunse alle mie mani, mercè della singolare beneficenza di V. S. la seconda impressione de' Versi del Fracastoro, del Fumano, e del Conte d' Arco, veramente maravigliosa per la gran copia de' componimenti, non mai per l' addietro impressi, e per tanti ornamenti e sì rari e luminosi, con cui Ella l' ha arricchita ed illustrata, che subito con grande avidità mi posi a leggerla e ad osservarla or qua, or là; e prima d' ogn' altra cosa divorai con sommo piacere la bellissima prefazione. Lessi il Carme del Fracastoro a M. Antonio Flaminio, che presso me inedito le mandai anni sono, e n' ebbi indicibil contento, avendolo Ella collo splendore della stampa donato al mondo letterario; di che la ringrazio al maggior segno, e insieme d' aver Ella onorato l' oscuro mio nome. Passai a scorrer le Lettere del Fracastoro, e d' altri a lui, ed in leggendo quella del Card. Bembo al Fracastoro stesso, molto mi rallegrai per l' elogio rarissimo che fa il Bembo al Flaminio nel fine della Lettera, chiamandolo dotto, pio e santo Poeta. *Tra i Versi del Conte d' Arco piacquemi al sommo l' Epistola scritta allo stesso Flaminio. Poi tra le tante e degne osservazioni ed annotazioni ch' Ella opportunamente fa per entro tutta l' Opera, notai quella fatta sull' elogio del Tartarotti al Conte d' Arco intorno a M. Antonio Flaminio, uno de' letterati amici del Conte stesso. E qui fermaimi sorpreso da non poco*

28

turbamento, cangiandomisi in amarezza quel dolce diletto in prima da me provato nel leggere tante e sì belle cose. Perlochè sia Ella contenta che per difesa della verità, e della estimazione de' due Flaminj mi trattenga alquanto a discorrere sulla osservazione da lei fatta col testimonio del Maggioraggio intorno ai medesimi.

Osservisi (Ella dice nel luogo sovraccennato) qui di passaggio, che M. A. Maggioraggio pretende che il vero nome del Flaminio fosse Antonio Maria, *e che poi secondo il costume di que' tempi l' abbia cangiato in* Marco Antonio; *e che egli non fosse della nobile Famiglia dei Signori Flaminj d' Imola, ma d' altra stirpe; così dicendo nell' Orazione decima a carte* 245. *dell' impression di Colonia* 1614. *in* 8. Marcus Antonius Flaminius, qui sua elegantia, dicendique venustate, doctorum omnium in se ora convertit, cum puer esset, et Bononiae sub patre suo ludi magistro litteris operam daret (quemadmodum a multis fide dignissimis accepimus, et praesertim ab hoc nostro cive Francisco Minutio Calvo, qui maximam cum Flaminio familiaritatem habet, jam inde a pueritia coeptam), *Antonius Maria* dicebatur. Hic postea cum in litteris plurimum profecisset, et Bononia Romam transmigrasset, se *Marcum Antonium* appellavit etc. Nam ejus pater Joannes Antonius, cum esset Imolae natus obscuro loco, se in Flaminiorum gentem inseruit, et *Antonius Flaminius* dici voluit.

In primo luogo dimostrerò esser falso che Gio. Antonio fosse d' oscuri natali, come dice il Maggioraggio. Per secondo farò vedere esser falso ciò ch' Ella suppone del medesimo Gio. Antonio, cioè ch' egli usurpasse la nobil famiglia de' Flaminj d' Imola. Per terzo farò conoscere che il Maggioraggio non prova abbastanza che il figliuolo di detto Gio. Antonio cangiasse il nome di Antonio Maria in quello di Marco Antonio.

E per farmi dal primo, ella si rammenti di ciò che anni sono le scrissi, quando mi favorì della notizia di quel tanto che asserisce il Maggioraggio nella sua X.

Orazione, de' due Flaminj. Allora le accennai soltanto la vera stirpe di Gio. Antonio, ora convien mi diffonda alquanto, e le apporti la genealogia del medesimo, tale quale si legge nella Vita di D. Onofrio Zarrabbini Canonico Regolare di S. Salvatore, scritta da Carlo Sigonio, e tradotta in volgare da Borgaruzzo Borgarucci posta sul principio della prima parte delle Prediche del medesimo stampate in Venezia in 4. l' anno 1585. presso il Ziletti. L' Istorico adunque così comincia:

Cotignola, nobil terra della Romagna, e assai più antica di quello hanno pensato alcuni, in ogni tempo avendo avuto nobili famiglie, ha prodotto anco uomini ed in armi, ed in lettere a niun altro secondi. E fra gli altri la nobile ed antica famiglia de' Zarrabbini diede a' tempi nostri un raro certamente mostro di natura, e per lettere e per bontà di vita e per religione degno d' esser ammirato e commendato da più prudenti penne e da più culti ingegni. ec.

Poscia dopo d' aver descritte le lodi del suddetto Onofrio, in fine soggiugne l' Istorico:

Non lascierò poi finalmente di dire che, oltra questo rarissimo ornamento e gran splendore di questa nobil famiglia de' Zarrabbini, vi sieno stati anco altri personaggi ed in lettere ed in armi preclari: perciocchè Ugo Dottor di Leggi, e Zaccheria Zarrabbini Notajo per le lor rare qualità furono frequentemente adoperati da Francesco Sforza Duca di Milano, e specialmente in ambascerie gravi ed importanti a molti e varj Signori. Di Zaccheria suddetto nacquero Ugo secondo e Gianfilippo, amendui Notaj fedelissimi; e di Ugo secondo nacque Lodovico, prudente e valoroso guerriere; e di questo, *Gianantonio* Dottor di Legge, il qual lesse pubblicamente nello Studio di Bologna, e lasciò dopo se un figlio detto *Marc' Antonio*, che per esser letteratissimo, onde scrisse alcune Opere assai grate al mondo, fu molto caro a Reginaldo Polo Cardinal d' Inghilterra illustrissimo, ma sopra il tutto uomo di grandissima scienza, e grande amatore de' letterati; di cui fu anco Auditore un altro pur de' Zarrab-

bini Dottor di Legge e Prete, detto *Cesare* (1). E *Benedetto* (2), anch' egli de' Zarrabbini, e Dottor di Legge, mostrò il valor del proprio ingegno e la nobiltà della famiglia in varj e diversi ufficj, e specialmente nel governo di Cesena, mantenendo quel popolo in ossequio, quantunque fosse in que' tempi dedito alle discordie e parzialità; siccome anco *Alessandro*, anch' egli della medesima famiglia de' Zarrabbini, cognominato Grossetto, per essere alquanto corpulento, per lo valor suo nel mestiere dell' armi fu fatto Capitano della Chiesa. Vi fu, oltra i sopraddetti, *Pier Carranto* (3), uomo di molte lettere, siccome si vede nelle sue Opere stampate e pubblicate al mondo in prosa e in versi. E *Sebastiano*, (4) pur della istessa famiglia, Medico e Filosofo, più volte Gonfaloniere d' Imola, lasciò anch' esso un figliuolo nominato *Onorio* (5), erede delle virtù paterne, perchè anch' egli fu Dottor di Medicina eccellentissimo nella Città di Firenze, dove morì questi anni addietro.

Posto adunque per indubitato che Gio. Antonio il padre, e il di lui figliuolo Marco Antonio fossero della nobile ed antica famiglia de' Zarrabbini di Cotignola, come può asserire il Maggioraggio che Gio. Antonio fosse d' oscuri natali? Egli nacque in Imola da Lodovico Zarrabbini suddetto, prudente e valoroso guerriere, il quale da Cotignola trapiantò in Imola la sua stirpe.

Pertanto non dirò io ch' egli da Imola portatosi a Venezia, e quindi in Serravalle della Marca Trivigiana, fosse colà pubblico Professore di Lettere Greche e Latine, ed annoverato fosse nell' orrevolissimo Collegio de

(1) Di Cesare, vedi pag. 5. 41. 51.

(2) Di Benedetto, vedi in fine de' Prolegomen. e pag. 121.

(3) Di Pier Carranto, vedi gli Epigrammi di Gio. Ant. Flaminio, pag. 81. e 107.

(4) Di Sebastiano, vedi pag. 305.

(5) D' Onorio, vedi l' Epistola di Pier Vittorio ad Erofilo Flaminio lib. IX. Epist. pag. 204. dell' impressione del Giunti di Firen. 1586.

Notaj; ma dirò ch' egli di colà tornato poscia in Imola sua patria ebbe decorosissimo luogo tra' nobili Consiglieri di questo Magistrato, di che ampia fede fanno gli Atti della Segreteria di questo Pubblico, ne' quali così io leggo: Anno 1515. in quodam Consilio Civitatis Imolae facto die nona Februarii intervenit Jo. Antonius de Cotignola Poëta: *Nè sembri al giudizio di lei, o di qualunque altro, che Gio. Antonio fosse chiamato da Cotignola; poichè presso il volgo era così appellato in riguardo della paterna origine; sebbene in altri luoghi degli Atti stessi vien egli cognominato Flaminio ed Imolese.* Anno 1519. (*così leggesi*) die 25. Decembris fuit exstractus pro anno sequenti Capitaneus Casulae praestans vir Magister Jo. Antonius Flaminius Poëta Imolensis. *Ove è da sapere che ogn' anno presso questo nostro Pubblico sul fine di Dicembre dal numero de' nobili Consiglieri si traggono a sorte varj ufficj che debbono eglino esercitare nel seguente anno, tra' quali v' ha la Prefettura di alcuni Castelli del territorio Imolese. Dirò inoltre che non solo Gio. Ant. ottenne il nobil grado di Consigliere di questo Magistrato, ma l' ottennero eziandio i suoi nipoti, figliuoli di un suo fratello; tra i quali addurrò qui soltanto, per non esser di tedio, il celebre Sebastiano Flaminio sovrammentovato, il quale fu Consigliere, ed eziandio più volte Gonfaloniere di questo Magistrato, ed Ambasciadore a i Sommi Pontefici per la sua patria. Di lui nella suddetta Segreteria del nostro Pubblico leggonsi le memorie che sieguono:* Anno 1524. Eximius Artium et Medicinae Doctor Dominus Magister Sebastianus Flaminius de Cotignola fuit magnificus Vexillifer Justitiae Civitatis Imolae mensibus Septembri et Octobri. — Anno 1530. Idem Magister Sebastianus fuit Vexillifer in primo bimestri — Anno 1537. Item in quarto bimestri — Anno 1546. Item in quarto bimestri — Anno 1549. Item in ultimo bimestri fuit Vexillifer Justitiae. Et dictis annis fuit pluries electus Orator ad Sanctiss. D. N. Papam Paulum III. et ad alios

Principes pro negotiis publicis Civitatis Imolae. *Si potrà pertanto credere che se Gio. Ant. fosse stato d' oscura nascita, fosse di subito egli, e un suo nipote, salito a i primi gradi che la Città dispensa a' suoi nobili Cittadini? Al certo che nò. Errò adunque il Maggioraggio, come non bene informato dell' origine di Gio. Antonio in dire ch' egli era nato d' oscura stirpe, non altrimenti che un non so qual sordido impuro medico, il quale presso il Longolio detrasse alla condizione ed alla stima di Gio. Ant. stesso e di M. Antonio di lui figliuolo; altamente perciò ripreso dal medesimo Longolio, come livido, bugiardo ed insano. Legga Ella quella Lettera del detto Longolio a M. Antonio Flaminio che comincia:* Jucundissimae mihi fuerunt etc. *nel Lib.* 2. *delle sue Epistole a carte* 103. *a tergo dell' impressione del Giunti in Firenze* 1524. *in* 8. *gr.*

Ma se Gio. Ant. fu della nobile ed antica famiglia de' Zarrabbini di Cotignola, come poi egli fu cognominato Flaminio? La risposta è in pronto, ed è quella che si oppone alla di lei opinione. Come Ella sa molto bene, a i tempi di Gio. Ant. fioriva la famosa Accademia di Pomponio Leto, nella quale tutti coloro che alle buone lettere si consecravano, come in certo modo rinnovati, mutavano i proprj nomi, e quelli prendevano che si accostavano ai nomi antichi Greci e Latini, o pur mostravano l' ardore verso la gloria delle lettere, o finalmente erano stati d' uomini letterati. In detta Accademia fu annoverato Gio. Antonio colla denominazione di Flaminio; intorno a che non s' ingannò il chiarissimo Sig. Apostolo Zeno (1), *il quale fu dello stesso parere, come accenna il Sig. Ab. Lioni nella Dissertazione sulla patria di M. A. Flaminio. Di fatto l' istesso Gio. Antonio in una sua Epistola al Card. Raffaello Riario dice così di se medesimo:* Ibique (*cioè in Venezia*) tum totius Academiae illius, qua nulla quidem

(1) Giornal. de' Letter. d'Ital. Tom. XXXI. art. III.

nostra aetate vel frequentior vel doctior, mihi cognomentum *Flaminii* est inditum, quum vix annum aetatis essem ingressus vigesimum. *Lode a Dio dunque che abbiam saputo in qual maniera, dove e quando Gio. Antonio acquistò il cognome di Flaminio, e da lui stesso l' abbiam saputo. Ed oltre a ciò molte e molte cose sapremo, se i PP. Domenicani di Bologna si risolveranno (come mi hanno promesso) di stampare il Codice delle di lui Epistole diviso in XII. libri conservato in detta città nella libreria de' suddetti Padri. Adunque se a Gio. Antonio fu dato il cognome di Flaminio, non si fece egli della famiglia de' Flaminj d' Imola; perocchè questa famiglia non v' era, ma da lui cominciò, e nei suoi discendenti fu con detto cognome propagata; quindi non ebbe egli bisogno di prender da altri l' antichità e la chiarezza del casato, avendo egli avuto secoli prima un tal pregio da' suoi ascendenti, come abbiam di sopra veduto. Per la qual cosa, ancorchè egli cangiasse cognome, ritenne però lo stemma gentilizio dei Zarrabbini, con questo solo divario, che di tre stelle che v' erano, ne volle una sola. Di che può Ella accertarsi, osservando prima lo stemma dell' antica famiglia Zarrabbini, posto sopra il ritratto del sovrammentovato Onofrio Zarrabbini, che vedesi avanti la di lui Vita premessa all' opera delle sue Omelie e Prediche. Dimostraci quello stemma nella parte inferiore due pesci, uno sotto dell' altro, e nella parte superiore tre stelle. Osservi poi Ella lo stemma di Gio. Ant. Flaminio, che vedesi inciso sulla lapida sepolcrale di lui nel portico o chiostro di S. Domenico di Bologna, e vedrà rappresentar esso nella parte inferiore parimente due pesci, e nella superiore una sola stella; e questo medesimo stemma usarono allora ed usano al presente i Flaminj Imolesi: posto perciò da noi sotto il ritratto di M. Antonio inciso e stampato in rame costì in Padova per la nuova impressione de' suoi Carmi. Ma di ciò basti fin qui.*

Veniam perfine a mostrare contra il Maggioraggio, come il figliuolo di Gio. Ant. Flaminio non cangiò il nome d' Antonio Maria, *in quello di* Marco Antonio; *posciachè non trovasi ch' egli in alcun tempo, nè in alcun luogo, nè presso alcuno Scrittore fosse egli chiamato* Antonio Maria.

Dice il Maggioraggio che Marc' Antonio Flaminio essendo ancor fanciullo, e studiando in Bologna sotto suo padre, ivi maestro, umane lettere, per relazione di Francesco Minuzio Calvo, amico familiare in quella tenera età del Flaminio stesso, appellavasi Antonio Maria; *ma che poi quando da Bologna portossi in Roma, chiamossi* Marco Antonio. *Quantunque ciò egli dica affidatosi alla testimonianza di Francesco Minuzio Calvo, pure v' è da dire in contrario. Imperciocchè convien sapere che essendo nato M. Ant. Flaminio in Serravalle della Marca Trivigiana, fu colà da Gio. Ant. suo padre educato ed ammaestrato nelle lettere, nè mai da lui partissi, finchè creato Pontefice Massimo Leone X. venne col padre in Imola, di dove fu poscia dal padre suo stesso mandato in Roma al medesimo Sommo Pontefice. Così appunto racconta suo padre nel Dialogo* de educatione ac institutione liberorum (1) *con queste parole:* Non defuere quidam qui opinati sint, filium meum M. Antonium Flaminium aliunde, quam a genitore suo, litteras didicisse; quod et ego non negaverim. Sed, aliter atque illi interpretantur: institutionem ac labores jure tueor meos. Velim mihi dicant ii, qualem illum e patrio emiserim nido, cum usque ad sextum decimum aetatis annum nunquam ne diem quidem unum a latere meo discesserit. Primus autem illius a me discessus non ad finitimam urbem aliquam, sed Romam; neque ad Antistitem aliquem gregarium, sed totius terrarum orbis Principem et Virum doctissimum Leonem Decimum Pontificem Max. *Non è adunque vero che M. Antonio in tempo*

(1) Dialog. de Educat. etc. pag. 21.

di sua puerizia studiasse lettere umane in Bologna sotto suo padre ivi precettore, ma dal medesimo già Professore in Serravalle le apprese; nè meno è vero che da Bologna fosse dal padre mandato in Roma, poichè da Imola, patrio suolo di Gio. Antonio suo padre, fu inviato all' alma Città. Oltre a ciò M. Antonio afferma di se medesimo, che passò gli anni di sua puerizia in Serravalle della Marca Trivigiana, come si raccoglie dal suo Endecasillabo a Francesco Robortello, cui fa così dire (1):

Flens dices: Mihi carior medullis
Meis candide *Marce*, quid morari
Gaudes tam procul a domo paterna?
Non te nutriit hic tenella mater?
Non hanc ludere per viam solebas
Puer cum pueris?

Ma quando mai dunque studiò egli in Bologna? Studiovvi, ma non già sotto suo padre, umane lettere. Dopo d' essersi egli trattenuto in Roma dentro l' anno 1514. *l' anno appresso passò in Urbino, ove fece per alcun tempo dimora, e conversò co' famosi letterati che componevano la celebre Corte del Duca Francesco Maria; nel qual tempo fece egli stampare in Fano le Nenie del Marullo, cui unì un libretto de' suoi Versi ed un' Egloga. Quindi l' anno* 1516. *tornò in Imola in casa di suo padre, e poscia l' anno stesso andossene in Bologna tutto applicato allo studio della Filosofia, per testimonianza di Fra Leandro Alberti, che di lui scrisse con molta lode l' anno medesimo nel libro quarto* (2) *delle Vite degli uomini illustri dell' Ordine de' Predicatori, nel Dialogo degli Illustri Filosofi così di lui dicendo:* M. Antonio Flaminio juniore filio, juvene modestissimo, litteratissimo ac virtutibus ornato ... Pollet Oratoria, Poesi, Mu-

(1) Carm. M. A. Flam. lib. VI. num. XXIX. Comin. edit.
(2) Lib. IV. pag. 153. Vedi di questa ediz. pag. 308.

sica, et nunc Philosophiae operam enixe impendit. *Al testimonio dell' Alberti aggiungo quello di Niccolò Conte d' Arco Poeta insigne, il quale in una sua Epistola in versi scritta in Mantova a M. Antonio Flaminio, mentre questi era in Verona presso Monsignor Gio. Matteo Giberti Vescovo di quella città, gli rammenta quel tempo di loro dimora e de' comuni loro studj in Bologna, con dire :* (1)

. . . Te Felsinea cum saepe solerem
Urbe frui, cum fulgebant felicia caeli
Sidera, cum laeto radiabant lumine soles,
Mecum partiri curas, mecum ipse solebas
Propter aquam parvi componere carmina Rheni,
Et mecum Graja pariter Latiaque Minerva
Auctorum abstrusos sapientum exscalpere sensus.

Posto ciò, convien ora indagare se, come dice il Maggioraggio, Marco Antonio Flaminio prima d' andare in Roma si chiamasse Antonio Maria. *Se da alcuno dobbiam ciò ricercare, certamente più che da qualunque altro dobbiamo intenderlo e saperlo dal di lui padre Gio. Antonio Flaminio. Ma da questo prima di mandarlo in Roma, o al certo nel tempo stesso che ve lo mandò, fu chiamato col nome di* M. Antonio. *Leggansi le due sue Lettere Latine, una a Leon X., l' altra al Card. Marco Cornaro, poste sul principio delle sue Selve, e sapremo ch' egli lo chiama col nome di* Marco Antonio : Misi hac de causa *M. Antonium* Flaminium filium meum qui et ipse Silvarum suarum libellos, non insulsum fortasse munusculum, ad ipsum Pontif. Max. detulit. *Così egli scrive al mentovato Cardinale in data d' Imola il dì 27. Aprile* 1514. Misi hac de causa *M. Antonium* Flaminium filium meum, adolescentem forte non ineruditum (parcius enim de eo loqui paterna jubet verecundia), qui et

(1) Tom. II. Carm. Fracast. Fumani, et Archii pag. 213. edit. II. Comin.

ipse cum suis litterariis munusculis, Persarum more laudatissimo, ad Tuam Beatitudinem accessit. *Così dic' egli nell' Epistola sovraccennata a Papa Leone in data parimente d' Imola il dì* 28. *d' Aprile* 1514.

Adunque prima che il di lui figliuolo si portasse in Roma, Marco Antonio *appellavasi, e non* Antonio Maria. *Intorno a che, a chi debbesi prestar maggior fede? a Francesco Minuzio Calvo, uomo soltanto noto al Maggioraggio, o a Gio. Ant. Flaminio, uomo notissimo a tutto il mondo letterario?*

Se si riguarda il tempo, io osservo che il di lui figliuolo e nel tempo della sua puerizia e della adolescenza e della gioventù sino all' ultimo della sua virilità fu sempre detto Marco Antonio. *Se si riguarda il luogo, io rifletto che e nel suolo ove egli nacque e fu educato, cioè in Serravalle della Marca Trivigiana, e nella città della paterna origine, cioè in Imola, e in Bologna e in Padova e in Verona, ove egli attese agli studj più gravi, e in Genova e in Napoli e in Firenze ed in altre città illustri d' Italia, ove dimorò con gran fama del suo ingegno, e finalmente in Roma, ove lungamente visse e poi morì, è a tutti noto ch' egli fu sempre appellato* Marco Antonio. *Per ultimo se si riflette a qualunque degli Scrittori che di lui fecero memoria, testimonianza ed elogio, incominciando dal padre suo Gio. Ant. Flaminio, e scendendo a ciascuno di essi, che essendo in numero poco men di dugento, tutti celebri, sì del suo secolo, che del passato e del presente, troppo lungo sarebbe volerli qui ora ad uno ad uno annoverare; tutti tutti non con altro nome l' hanno distinto e celebrato, se non con quello di* Marco Antonio. *Non so pertanto vedere che a un numero sì pieno di Scrittori celebri per le loro egregie Opere divulgate notissime e stimatissime presso la Repubblica Letteraria, abbia a prevalere nella credenza e nella pubblica testimonianza un uomo solo di non so qual fama, qual è Francesco Minuzio Calvo, riferito dal solo Maggiorag-*

gio a suo favore. Creda però chi vuole all' autorità di un solo, ch' io per me m' atterrò sempre all' autorità ben fondata di quasi dugento Scrittori, i quali appellarono sempre il figliuolo di Gio. Antonio Flaminio col nome di Marco Antonio, *e non mai di* Antonio Maria; *non potendomi persuadere che il vero di lui nome fosse noto ad un solo, e ignoto fosse a cento e più uomini letterati che lui conobbero, trattarono ed altamente lodarono. Questo è il mio sentimento, che al gravissimo giudizio di V. S. riverentemente sottometto.*

Imola 10. *Dicembre* 1739.

INDEX

CARMINUM PROFANORUM

M. ANTONII FLAMINII

Signum * indicium est additorum in I. Cominiana editione, hoc † autem, in II. quam secuti sumus.

INDEX

CARMINUM SACRORUM

M. ANTONII FLAMINII

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

Quae sex prioribus M. Antonii Flaminii Carminum Libris continentur, nonnullis Annotationibus additis.

In hac edit. diligentior et auctior. Primus numerus Librum, secundus Carmen indicat.

G

H

I

INDEX

PSALMORUM

ALPHABETICUS.

Prior numerus ordinem Psalmorum juxta Vulgatam Bibliorum editionem, posterior paginam, littera vero *G.* Gradualem Psalmum indicat.

AD HAEC ACCEDUNT

SACRORUM CARMINUM

SERIES, ET ARGUMENTA.

ELENCHUS

VI. EPISTOLARUM ITALICARUM

M. ANTONII FLAMINII

SELECTARUM.

INDEX

CLARORUM VIRORUM

EX QUORUM SCRIPTIS TESTIMONIA DE

M. ANTONIO FLAMINIO

DELEGIMUS

*Signum * indicium est additorum in II. edit. Comin. quam haec nostra secuta est.*

JO. ANTONII
FLAMINII
FOROCORNELIENSIS,
M. ANTONII PATRIS,
CARMINA
LECTIORA.

SELECTA
DOCTORUM VIRORUM
DE JO. ANT. FLAMINIO
FOROCORNELIENSI,
M. ANTONII PATRE,
EJUSQUE SCRIPTIS TESTIMONIA.

LEANDER ALBERTUS

Libro IV. de Viris Illustribus Ordinis Praedicatorum pag. 152. *edit. Bonon.* 1517.

Jo. Ant. Flaminius Forocorneliensis, illud magnum Linguae Latinae sidus, jubar et oculus: quem litterati pluris faciunt, et jure optimo; quandoquidem in eo tot sint virtutum ornamenta congesta, ut rarus, immo rarissimus, nostra aetate videatur. Quae si narrare voluero, fortassis me nonnulli eblandiri illi arbitrabuntur. Pro tempore tamen aliquam eorum partem coram ponere volo. Vir est a natura, tam corporis, quam animi bonis dotatus: si formam quaeris, praestanti eum invenies; si vultum, delectabili; si loquelam, dulci, et aliquando, pro ut postulat, rigida et aspera; si mores, optimis; si doctrinam, praestantissima, prout ejus Opera praeseferunt, in primis duo Silvarum libri, cum tribus Epigrammatum libellis, anno praeterito procusi. Tragoedia illa excellentissima, Priamus dicta, tam festiva, tam docta, varia et jucunda, ut se ipsum in ea superasse facile cognosci potest. Historiae de Imperatoribus Rom. Libri tres de Harmonica Institutione. Vita Magni Alberti, Jacobi Veneti, D. Vincentii Valentini, Venturinique

Bergomensis; ac Acervi Epistolarum. Quae omnia viri praestantissimam doctrinam effingunt. Ejus enim stilus gravis, nitidus, emunctus, levigatus, brevis non taediosus doctus et succulentus. Cujus quidem testes sunt Achilles Phileros Bocchius et Philippus Phasianinus Bononienses, juvenes litteratissimi necnon virtutibus ornatissimi. Quorum prior tantum scriptis Flaminii delectatur, ut vix dici possit. Deinde vir bonus est, compositus, rectus, justus; non arrogans, non petulans; sed optimis virtutibus ornatus. Nescio quid in eo desiderari liceat.

IDEM LEANDER ALBERTUS

in Descriptione Italiae, ubi Forum Cornelii describit, Clarosque Viros Forocornelienses recenset.

Produsse eziandio questa nobile Patria Gio. Antonio Flaminio, uomo molto letterato, come chiaramente si può vedere dalle Opere da lui composte, che sono ormai per tutta Europa sparte. Fu eccellente Oratore e degnissimo Poeta. Era la sua orazione pura, elegante, tersa, florida, e redolente della eloquenza Tulliana, della quale era imitatore. Passò a migliore diporto in Bologna (ove assai tempo avea insegnato) nel 1536. e fu sepolto nel Chiostro di S. Domenico; sopra la cui sepoltura così è scritto:

D. O. M.

JO. ANTONII FLAMINII

FOROCORNELIENSIS

DE VTRAQVE LINGVA

B. M. OSSA

M. D. XXXVI. XV. KAL. JVN.

Eadem in Jo. Ant. Flaminii laudem ex eodem Alberto refert Gerardus Joannes Vossius de Historicis Latinis lib. III. Verum perperam Flaminio Vossius tribuit scriptionem Vitae B. Joannis Boni Mantuani ex Ordine Eremitarum.

JULIUS CÆSAR FLAMINIUS

JO. ANT. FLAMINIO PATRUO SUO.

In fine Dialogi ejusdem Flaminii de Educatione Liberorum ac institutione.

Quot gemmas Erythrea mittit unda,
Quot laetae Libyae refert aristas
Tellus, quot virides novo renident
Veris tempore pampini atque frondes,
Quot virgulta humiles habent myricae,
Quotque alveos Siculis apes in oris
Implent melle, quot osculationes
Docto Lesbia detulit Catullo,
Italo quot in orbe sunt Penates,
Quot sunt, quotque fuere poma quondam
Aurea Hesperidum, quot in profunda
Caeli sidera parte continentur,
Quotque aër capit alites, quot aequor
Pisces, quot silüae feras canorae,
Quotque aestu freta permeant carinae,
Quot sunt alipedes Noti, quot aurae,
Quot manent animae senem Charonta,
Quotque umbrae Elysium incolunt, tot annos
Facundi maneant tui labores.

SEBASTIANUS FLAMINIUS

Ad Jo. Antonium Flaminium, patruum suum.

Initio Silvarum Jo. Ant. Flaminii
Bonon. edit. 1515.

Sacro Mantua gaudeat Marone,
Pelignus cecinit Poeta. Docto
Plaudat sic quoque plurimum Catullo
Verona. Ast tibi, Flamini, tuisque
Corneli faveat Forum Libellis.

IDEM.

Doctus deliciis sui Catullus
Floret passeris elegantiarum
Pleni. Olim viguit columba Stellae
Doctorum volitans per ora: sic jam
Extendit Latium volans per orbem
Alas Flaminii canora docti
Nunc ales Philomela: circuitque
Jam molles Arabas, simul remotos
Undosi Oceani accolas Britannos,
Totum denique sic pererrat orbem
Praeceptor patruusque, plectra Grajo
Magnus, dramate seu movet Latino.

M. ANTONIUS FLAMINIUS

In libellos Jo. Antonii Flaminii patris.

Ex (1) *libello Carminum ejusdem M. Antonii edito Fani* 1515.

Quot tellus Zephyro soluta flores,
Quot bruma ingerit albicans pruinas,
Quot spicae Libyae calent in arvis,
Quot vastis mare fluctuat procellis,
Quot nascens pluvias reportat Hoedus,
Quot ceraunia frondibus teguntur,
Paestanisque rosae virent in agris,
Quot pictis freta puppibus secantur,
Quot caelum facibus micat serenum,
Quot sunt millia multa basiorum
Quae dari sibi postulat Catullus,
Quotque sunt atomi Lucretianae,
Tot menses, bone Flamini, tot annos
Perennes maneant tui Libelli.

IDEM

ad Jo. Ant. Flaminium patrem morientem, Carm. lib. I. num. xx. nostrae editionis.

Vixisti, genitor, bene ac beate,
Nec pauper, neque dives; eruditus
Satis et satis eloquens, valente
Semper corpore, mente sana, amicis
Jucundus, pietate singulari.

(1) Carmen hoc idem M. Ant. Flaminius meliori consilio concentuque de libellis Andreae Naugerii cecinit, lib. I. Carm. num. xxxviii. nostrae editionis.

Nunc lustris bene sexdecim peractis
Ad divûm proficisceris beatas
Oras. I, genitor, tuumque natum
Olympi cito siste tecum in arce.

Verum graviora de Jo. Ant. Flaminio testimonia sunt ad eum conscriptae Epistolae Raphaelis Riarii, M. Cornelii, Ludovici Aragonii ampliss. Cardd. Pomponii Laeti, Jo. Pici Mirandulani, Philippi Beroaldi, Jo. Bapt. Pii, Romuli Amasaei, aliorumque Litteratorum in XII. Libros Epistolarum Familiarium ejusdem Flaminii congestae.

DE JO. ANT. FLAMINIO

FOROCORNELIENSI,

M. ANTONII PATRE

FRANCISCUS MARIA MANCURTIUS.

Joannes Antonius Flaminius ex nobili Zarrabbinorum (1) familia Cotiniolana (cujus majores litteris armisque praeclari, Francisco Sfortiae Mediolani Duci gratissimi, variis legationum muneribus perfuncti sunt), Ludovici strenui militis filius, Anno MCDLVI. natus est in urbe Corneliensi, Callisto III. Summo Pontifice. Igitur non obscuro loco natus est Forocornelii Jo. Antonius, ut perperam ait (2) Majoragius: neque in Flaminiorum gentem se insernit; sed cum in Romanam Pomponii Laeti Academiam, aetate illa celeberrimam, esset cooptatus, Flaminii cognomentum fuit illi inditum, Venetiis, cum esset aetatis suae annum vix ingressus vicesimum: quemadmodum ipsemet in Epistola (3) ad Raphaelem Riarium Cardinalem testatus est. Hinc, Zarrabbino cognomine mutato, Flaminius dici voluit; tum reliqui ex eodem genere orti ad hanc usque diem Flaminii sunt cognominati. Ea itaque aetate in lucem Flaminius editus est, qua litterae ex maximo, quod superioribus saeculis passae fuerant, detrimento, ad summum incrementum devenerunt; qui-

(1) Sigonius, et Borgaruccius in Vita Onuph. Zarrabbini.
(2) Majoragius Orat. X.
(2) Epist. Famil. MSS. lib. I. num. VII.

bus et ipse non modicum ornamenti et docendo et scribendo erat allaturus.

Ex patria urbe, tum civilium tum externorum bellorum caussa, quibus tunc temporis Æmilia provincia perculsa erat atque disjecta, Venetias profectus est: qua in urbe florentissima, dulci litterarum otio, hominumque doctissimorum consuetudine delectatus, diu constitit; illustrium vero eximiorumque virorum humanitatem, favorem ac beneficentiam ibidem expertus est, atque in primis Georgii Cornelii Clarissimi ac strenuissimi Equitis, ejusque filii Marci (1) Cardinalis amplissimi, quorum uterque Flaminium, ut quemque doctum consueverunt, singulari benevolentia complexi, summo patrocinio ac liberalitate juverunt. Hinc ad Tarvisinae provinciae populos, qui illum in Litterarum praeceptorem expostulaverant, demigravit, ac in Serravallem, nobile amoenissimum oppidum, se contulit, ubi largo stipendio conductus humanas litteras (2) publice professus est: diuque ibidem commoratus, primo in Tabellionum praestantium doctorumque virorum Collegium adscriptus, mox in civem Serravallensem susceptus fuit. Veturiam postea ejusdem oppidi praeclaram foeminam uxorem duxit, quatuor filiis ex ea susceptis, Julio, Fausto, M. Antonio, elegantique puella, quam Petro Feltrio Serravallensi illustri viro in uxorem tradidit. Interea tum versibus, tum soluta oratione plura conscripsit: Bella enim, quae tunc temporis in Italia, ac praesertim in Æmilia ac in Veneta ditione furebant, heroico et elego descripsit carmine; historiarum etiam libros condidit, et alia id genus multa, de quibus suis referemus locis. Per id autem temporis quo apud Serravallenses commoratus est, tum valetudinis tum litium, quae illi quandoque illatae erant, incommoda, reique familiaris jacturam tulit; uxoris etiam ac duorum filiorum, quos ei mors immatura eripuit, in-

(1) Epist. dedic. ad M. Card. Cornel. initio Silvarum.
(2) Leand. Albert. in Descript. Ital.

teritum doluit, moestisque (1) carminibus prosequutus est.

Tandem aliquando ex Serravalle ad Forum Cornelii, patriam suam, una cum filio M. Antonio, qui unicus ei de quatuor superérat, regressus est, anno scilicet millesimo quingentesimo tertio decimo, quo Leo X. Summus Pontifex est renunciatus: ad quem (2) ex Foro Cornelii V. Cal. Majas MDXIV. litteras gratulationis officio cumulatissimas scripsit; sed et M. Antonium filium suum ex patria ad eumdem misit Pontificem, cui ingeniosissimus adolescens tum propria, tum paterna obtulit litteraria munera: Epistolam scilicet elego versu scriptam de suscipienda adversus Turcas expeditione, ac Panegyricum Carmen. Silvarum item libros (3) duos, ac Epigrammatum libros tres per eumdem filium suum M. Card. Cornelio muneri dedit, ac dedicavit ob veterem observantiam qua Venetam Corneliam familiam inclytam semper coluit. Hinc amicorum hortatu atque consilio ad utilium rerum scriptionem animum adjecit: nam a Leandro Alberto (4) rogatus quorumdam Virorum sanctitate illustrium Ordinis Praedicatorum Vitas descripsit, aliorumque Sanctorum gesta monumentis mandavit religionis studio incensus: quamobrem Historiae sacrae quaedam addere constituerat, quae uberiorem et jucundiorem illam efficerent. Petro quoque Aaron Florentino, (5) Musicae professori aetate illa clarissimo, rem gratissimam facturus Flaminius libros tres de Institutione Harmonica ex vernaculo idiomate in Latinum sermonem vertit, multaque cruditione ex Graecis litteris decerpta exornavit. His itaque in patria, quamvis privatis ac publicis rebus districtus esset, (in ea enim praeclaris muneribus perfunctus est) egregie scriptis, ac

(1) Silv. l. 2. Epigr. l. I.
(2) Epist. ad Leon. X. initio Silv.
(3) Epist. ad M. Cornel. Card. initio Silv.
(4) Praefat. in Vitam Alberti Magni.
(5) Epist. ad P. Aaron initio Instit. Harm.

evulgatis, aliisque ad communem utilitatem paratis opusculis, Bononiam profectus est, a Leandro Alberto, a Gaspare Elephantutio, atque ab aliis Litteratis viris (1) accersitus, ibi perpetuo in erudienda juventute, ac in edendis ingenii sui monumentis commoraturus. Anno igitur MDXX. Bononiae privatim in contubernium suum nobiles instituendos suscepit adolescentes, ac prae ceteris Alphonsum et Rodulphum Gasparis Elephantutii Bononiensis Equitis filios, tum Laurentii Puccii Sanctorum Quatuor Cardinalis nepotem. Publice vero in Bononiensi Academia (ut aliqui tradunt) Hebraicas et Chaldaeas litteras edocuit. Quocirca ad excolendam tum bonis artibus, tum sanctis moribus juventutem, Grammaticae primo Institutiones edidit, quas Gaspari Elephantutio nuncupavit; praeterea de Educatione Liberorum ac institutione Dialogum evulgavit; quem Antonio Puccio Pistoriensi Episcopo dedicavit; utque cultior et eruditior juventus fieret, eruditissimum Opusculum de Origine Philosophiae, et Philosophorum sectis typis mandavit, ejusdem Gasparis Elephantutii rogatu, cui et Opusculum dono dedit. Adriano VI. Clementi VII. Paullo III. ad universalis Ecclesiae regimen evectis, Epistolis, seu potius eloquentissimis Orationibus, gratulatus est. Carolum V. Imperiali corona Bononiae donatum Oratione sua consalutavit. Tres quoque ejusdem Imperatoris Coronationes descripsit, quas ad eumdem Antonium Puccium Cardinalem creatum misit; tum Reginae Francorum Coronationem a se descriptam Francisco Guicciardino Bononiae Vicelegato nuncupavit. Verum de Scriptis ejus tum editis, tum ineditis postremo loco dicemus. De iis modo quae ad illius institutionis methodum, scriptionis stilum, pietatis cultum, et amicorum consuetudinem pertinent, disseramus.

Hanc igitur (2) methodum et rationem in instituendis adolescentibus sibi constituit. Eos tamdiu in Grammatica

(1) Dialog. de Educat. Liberor.
(2) Dialogo de Educat. Liber. et institut.

detinendos esse censuit, donec ad facilem ac dilucidam orationem instituerentur: ea propter ad eorum optimam institutionem Grammaticae praecepta eo utiliora, quo breviora, edidit, ne aliarum varietas et multitudo grammaticalium institutionum ab orationis facilitate eos averteret. In interpretando vero Latinos Graecosque Auctores doctus, facundus et uberrimus fuit. Quo factum est, ut ex discipulis ejus plusquam ducenti Litterati viri evaserint tam in Italia, quam extra Italiam celebres. Quod autem ad genus ac stilum scriptionis ejus attinet, in utroque scribendi genere excelluit quidem; verum in oratione soluta potius, quam carmine cultus et expolitus fuit; atque Orator revera magis quam Poeta exstitit. Ejus enim Carmina magna verborum copia atque eruditione, ingenti etiam vi ac spiritu magis, quam puritate atque elegantia redundant. Ceterum, omnem vim ingenii, atque artis in Oratoriam Flaminius contulit, ac apud omnes de ea summam laudem est assequutus. Erat enim ejus oratio pura et elegans, nitida ac florida, Tullianam redolens eloquentiam, facilis in primis et dilucida: aliquando incitata, interdum lenis, modo concisa, quandoque fusa, sententiis etiam ac eruditione plerumque ornata.

Tametsi autem Jo. Antonius humanas litteras tradiderit, non iccirco tamen paedagogus habendus est, quemadmodum impurus quidam homo coram (1) Longolio petulanter de illo, deque ejus filio Marco Antonio pronunciavit. Fuit etenim doctissimorum hominum judicio ac testimonio Poeta atque Orator illustris, Orientalium linguarum peritissimus, Philosophus, Geographus, Jurisperitus, Historicus vero eruditissimus, aureique sui saeculi Scriptor eximius. Primus itaque fuit qui Sanctorum (2) aliquot Vitas jampridem vel ab eruditis hominibus neglectas, vel ab imperitis sordido stilo conscriptas, orationis elegantia illustraverit, ut earumdem lectio prodesset simul ac plu-

(1) Longol. Epist. ad M. A. Flam. lib. II.
(2) Praefat. in Vit. D. Dominici etc.

rimum delectaret; atque, ut ipse ait, studiorum suorum decumas Deo persolveret, ac de Christiana Repub. optime mereretur. Hinc ejus in Deum, in Sanctos ac in Rempub. Christianam summa religio et pietas illuxit. Quapropter ad Julium II. de liberanda jugo Barbarorum Italia, ad Leonem X. de suscipienda adversus Turcas expeditione Epistolas carmine scriptas dedit. Adriano VI. Clementi VII. Paullo III. Epistolas quoque, sive Orationes, eloquentiae multaeque eruditionis plenas scripsit de procuranda inter Christianos Principes concordia, ut hi inter se validissimo foederis vinculo conjuncti, arma sua in Turcas ac in reliquos Christianae Fidei hostes retunderent. Ad Antonium Puccium, Sanctorum Quatuor Cardinalem, de Bello Aphricano a Carolo V. fortiter gesto, deque parta ab eo feliciter victoria; de quibusdam etiam memorabilibus novi orbis, quae ad Christianae Religionis propagationem conferunt, descriptiones misit. Tandemque cum eo moerorem suum de regno Pannoniae a Turcis capto cum interitu Regis, a se fuse descripto; communicavit. Honestatem ejus quoque Carmina sua maxime commendat, nullo turpitudinis vel detractionis veneno infecta, sed dignitate ac lepóre quodam conspersa. Tanta itaque eruditione ac morum honestate praeditus facile sibi bonos omnes amore devinxit, nec eos tantum quibuscum diu familiariter versatus est, verum etiam illos qui fama virtutis ejus permoti, se se illi in arctissimum amorem conjunxerunt. Sed et Principes viri in eum gratiam et amorem contulerunt. Nam Julio II. Leoni X. Adriano VI. Clementi VII. Paullo III. Summis Pontificibus, quibus virtus ejus perspecta erat, valde acceptus fuit. Marco Cornelio, Dominico Grimano, Hippolyto Estensi, Ludovico Aragonio; Laurentio Campegio, Laurentio et Antonio Pucciis Cardinalibus, aliisque amplissimis Patribus carissimus fuit, ac beneficiis cumulatus; nam, ut reliquos omittam, ejusdem Antonii Puccii Sanctorum Quatuor Cardinalis beneficentia Jo. Antonius Cle-

ricus factus (1) insigni Sacerdotio Faventinae Ecclesiae (quod S. Prosperi Prioratum vocant) fuit decoratus. Litteratos vero illius aevi insigniores amicitia sibi conjunctos habuit, Pomponium Laetum, Angelum Politianum, Hermolaum Barbarum, Jo. Picum Mirandulanum, Balthasarem Castilionem, Jacobum Sannazarium, M. Antonium Sabellicum, Romulum Amasaeum, Petrum Baroccium Pontificem Patavinum, Franciscum Guicciardinum, Leandrum Albertum, juniorem Beroaldum, Jo. Baptistam Pium, Achillem Bocchium, aliosque hujus ordinis viros, quibuscum mutua ei fuit (2) epistolarum, officiorum ac lucubrationum communicatio. Bonis omnibus itaque carus Jo. Antonius Flaminius, octogenarius Bononiae decessit anno MDXXXVI. Paullo III. Pont. Max. In porticu D. Dominici sepultus, hoc posito monumento:

D. O. M.
JO. ANTONII FLAMINII
FOROCORNELIENSIS
DE UTRAQUE LINGUA
B. M. OSSA
M. D. XXXVI. XV. KAL. JUN.

(1) Ex Epist. M. S. de laudibus Urbis Favent. et ex Epist. M. S. M. A. Flamin. ad Jul. Zarrabbin. an. 1549. De hoc etiam loquitur Carminum lib. VI. xviii.
(2) Epist. MSS. ad eosdem.

Cum Dupinius hac aetate nostra M. Antonii filii Opera Jo. Antonio patri attribuerit, singulorum Jo. Antonii Operum Catalogum contextum, hic describimus.

JO. ANTONII FLAMINII

FOROCORNELIENSIS,

M. ANTONII PATRIS,

OPERA EDITA.

Silvarum libri II. Epigrammatum libri III. Bononiae 1515. per Hieron. de Benedictis, in 4.

Libri III. de Institutione Harmonica, editi a Petro Aaron Florentino, interprete Jo. Antonio Flaminio. Bonon. in aedibus Benedicti Hectoris 1516. in 4.

Vitae quorumdam Illustrium sanctitate Virorum Ordinis Praedicatorum, a Leand. Alberto in lib. de Viris Illustribus ejusdem Ordinis congestae. Bonon. per Hieron. de Benedictis 1517. in fol. videlicet:

B. Alberti Magni Vita, libro III. pag. 105.
B. Vincentii Valentini Vita, libro V. pag. 156.
B. Jacobi Veneti Vita, lib. V. pag. 205.
B. Venturini Bergomatis Vita, lib. V. pag. 238.
B. Jacobi Alemanni Vita, lib. VI. pag. 262.

Grammaticae Institutiones. Bonon. per Hieron. de Benedictis 1522. in 4.

Divinum B. Catharinae Bononiensis Opusculum in Latinum a (1) Jo. Ant. Flaminio ex vernaculo sermone conversum, cum ejusdem S. Virginis Vita ab eodem Flaminio contexta. Bonon. per Hieron. de Benedictis 1522. in 4. Et iterum. Bonou. typis Jo. Bapt. Ferronii 1653. in 4.

Epistola ad Adrianum VI. Pont. Max. initio Pontificatus de procuranda inter Christianos Principes concordia, et de suscipienda adversus Turcas expeditione, una cum Epistola ad L. Campegium Cardinalem. Bonon. 1523. in 4. per Hieron. de Benedictis.

Dialogus de Educatione Liberorum ac institutione. Bonon. per Hieron. de Benedictis 1524. 4.

De Origine Philosophiae ac Philosophorum sectis Opusculum. Bonon. per Hieron. de Benedictis 1524. in 4.

Epistola ad Clementem VII. Pont. Max. de tractanda Christianorum Priucipum concordia, et de suscipienda adversus Turcas expeditione. — Epistola de novo ac ingenti apparatu Regis Turcarum adversus Christianas in Septemtrione gentes. — Descriptio publicationis in urbe clarissima Venetiarum Societatis inter Principes Christianos initae. Bonon. per Hieron. de Benedictis 1526. in 4.

Vitae Patrum inclyti Ordinis Praedicatorum. Bonon. per haered. Hieron. de Benedictis. 1529. in 4. videlicet:
S. Dominici Vita, tribus libris distributa.
D. Petri Martyris Vita.
D. Thomae Aquinatis Vita.
D. Viucentii Valentini Vita, locupletior quam antea.
B. Antonini Florentini Vita.

Oratio ad Carolum V. Roman. Imperatorem.
Ejusdem Imperatoris Coronationes tres,
Item Christianissimae Reginae Coronatio. Bonon. apud haered. Hieron. de Benedict. 1531. 4.

(1) Non a M. Antonio, ut perperam notatur pag. 112 et 184. Catalogi Bibliothecae Card. Imperialis.

Epistola ad Paullum III. Pont. Max. initio Pontificatus.
Belli recentis Aphricani descriptio.
De quibusdam memorabilibus Novi Orbis.
Conflictus ille Pannonicus cum Turcis, in quo Pannoniae Rex interiit. Bonon. apud Vincentium Bonardum Parmen. et M. Antonium Carpen. 1536. in 4.
Epistola ad Leand. Albertum in laudem Descriptionis Italiae ab eodem Alberto Etrusco idiomate editae. Exstat initio ejusdem Descriptionis. Venet. apud Petrum de Nicolinis 1551. in 4.
Vita S. Prosperi Aquitanici, initio Operum ejusdem Sancti, Lugduni 1539. in fol. apud Seb. Gryphium. *De hac Vita vide Lilium Gregor. Gyraldum Histor. de Poetis Dialogo V. pag. 640. edit. Basil. 1545 in 8. et Philippum Labbè Soc. Jesu in Dissertatione Histor. de Scriptoribus Ecclesiast. Part. 2. pag. 249.*
Vita B. Petri Damiani, initio Operum ejusdem Sancti, Romae apud Aloysium Zannetum. 1606. in fol.

OPERA ADHUC INEDITA.

Vitae Sanctorum quatuor Protectorum Urbis Faventinae, videlicet:
B. Terentii Confessoris.
B. Sabini Episcopi et Martyris.
S. Æmiliani Episcopi.
B. Petri Damiani: *quarum autographum exstat apud Faventinos.*
De laudibus Urbis Faventinae Epistola ad ampliss. P. Antonium Puccium Sanctorum Quatuor Card. *cujus autographum exstat apud eosdem Faventinos.*
Vita B. Theodori Martyris: *de qua idem Flaminius mentionem facit in praefatione ad Vitam S. Sabini.*
Vita S. Pontificis Benedicti XI. *de qua vide Leand. Albertum in Descriptione Italiae.*
Vita B. Hosannae Andriassae Tertii Ord. S. Dominici. *Vide Leand. Albertum* etc.

Vita S. Virginis Columbae Tertii Ord. S. Dominici. *Vide eumdem Albertum ubi supra.*

Vita S. Catharinae Senensis: *de qua Flaminius lib. II. Vitae S. Dominici pag.* lv. *a tergo.*

Tragoedia Priamus dicta: *cujus meminit Flaminius in Epistola ad M. Cornelium Card. initio Silvarum: et Albertus de Viris Illustrib. Ord. Praedic. lib.* iv. *pag.* 152.

De Septem Romanis Regibus. *Vide Flamin. Epigramm. ad Balbum Venetum, lib. II. pag.* 87. *et ad Cupidinem lib. II. pag.* 88.

Historia Romani Imperii. *Vide Flamin. Epigramm. ad Guid. Raccolam lib. II. pag.* 97. *et Alber. ubi supra.*

Historiarum libri, quibus mille ac centum annorum res gestas ad suam usque aetatem complexus est. *De quibus idem Flaminius in eadem Epistola ad M. Cornelium Card. initio Silvarum. Et in descriptione publicationis Societatis inter Principes Christianos initae; tum in Epistola ad Dom. Grimanum Card. de Coronatione Caroli V. Imp.; item in Epistola de laudibus Urbis Faventinae.*

De Urbis vetustis rebus marmoreis. *Vide Flamin. Epigramm. Ad Guid. Raccolam lib. II. pag.* 100.

De Regum proeliis, de Romanorum bellis, de Priami caede, deque monimentis et legibus veterum Jurisconsultorum. *Vide Flamin. Silv. lib. II. pag.* 57. *Hymno ad Musam.*

Carmen veteris notae. *Vide Flamin. Epigramm. ad Guid. Raccolam, lib. II. pag.* 99.

Epistola ex novo orbe in Italiam a Francisco Faventino Ordin. Minorum transmissa, in Latinum a Jo. Ant. Flaminio conversa. *De qua idem Flamin. in Epistola de quibusdam memorabilibus novi orbis.*

Epistolarum Familiarium libri XII. *Bononiae apud Fratres Ord. Praedicatorum inter Miscellanea Bibliothecae. Quarum meminit Gaspar Elephantutius in Dialogo Flaminii de Educatione Liberorum* etc. *Et Leand.*

Albertus de Viris Illustrib. Ordin. Praedic. lib. IV. pag. 152. *tum in Descriptione Italiae* etc. Harum Elenchus hic est:

LIBRI I.

1 Alexandro VI. Pont. Max.
2 Eidem.
3 Caesari Borgiae Duci Valentino.
4 Julio II. P. M.
5 Eidem.
6 Eidem.
7 R. Riario S. Georgii Card.
8. R. Riarius S. Georgii Card. Jo. A. Flam.
9 R. Riario etc.
10 Eidem.
11 Ampliss. P. D. Grimano S. Marci Card.
12 Eidem. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

LIBRI II.

1 B. P. Leoni X. P. M.
2 Eidem. 3. 4.
5 Ampliss. P. M. Cornelio S. Mariae in Via Lata Card.
6 M. S. Mariae in Via Lata Diacon. Card. Patrimonii Legatus Jo. Ant. Flaminio.
7 M. S. Mariae in V. L. Card. ac Patrimonii Legato.
8 L. Aragonio S. Mariae in Cosmedin Card.
9 L. S. Mar. in Cosmed. Diac. Card. de Aragonia J. A. Flam.
10 L. S. Mar. in Cosmed. Diac. Cardinali.
11 Ampliss. P. D. Grimano S. Marci Card.
12 Eidem. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.
21 R. P. Bernardo de Rubeis Vicem Legati Bonon. pro Pontifice Max. gerenti.
22 Eidem.
23 Jo. Baptistae Vulpensi Forocorneliensis Ecclesiae Praeposito.
24 Eidem. 25. 26.

LIBRI III.

1 B. P. Adriano VI. Pont. Max.
2 Jacobo Antiquario.
3 Jacobus Antiquarius Jo. A. Flam.
4 Jacobo Antiquario.
5 Jacobus Antiquarius Jo. Ant. Flam.

6 Angelo Politiano.
7 Eidem.
8 Calphurnio suo.
9 Eidem.
10 Hermolao Barbaro.
11 Pomponio Laeto.
12 Pomponius Laetus Jo. Ant. Flam.
13 Pico Mirandulano.
14 Jo. Picus Mirandul. Jo. Ant. Flam.
15 Jo. Pico Mirandul.
16 Philippo Beroaldo.
17 Philippus Beroaldus Jo. An. Flam.
18 Philippo Beroaldo juniori.
19 Francisco Bentivolo.
20 Eidem.
21 Comiti Andreae Bentivolo.
22 Andreae Bentivolo.
23 Comiti Baptistae Bentivolo.
24 Dominico Castalio.
25 Nicolao Phoebeo.

LIBRI IV.

1 Ampliss. P. D. Grimano S. Marci Card.
2 Jo. Bapt. Pio.
3 Petro Baroccio Pont. Patavino.
4 Bernardino Carretae.
5 Bernardino Bonasio.
6 Josepho Favorino.
7 Eidem.
8 Hieronymo Bononio, et Pancratio Pyrruchino.
9 Eisdem.
10 Jo. Ant. Pruino Tarvisino J. C.
11 Petro Ant. Jurisconsulto.
12 Illustri Jo. Ant. Comiti Collatino.
13 P. Antonio Praetori Collatino.
14 Eidem.

LIBRI V.

1 M. Ant. Flaminio filio.
2 Eidem. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.
14 M. Ant. Flam. filio suo. *Titulus hujus Epistolae fallax est; non enim scripta est filio, sed alteri, et quidem pluribus, ut ex eadem apparet; sed quibus, ignoratur.*
15 Antonio Padulensi Apostolico Scribae.
16 Hieronymo Dedo.
17 Raphaeli Lippo.
18 Eidem.
19 Jo. Bapt. Pio.
20 Jo. Bapt. Pius Jo. A. Flam.
21 Jo. Bapt. Catanio.
22 Petro Matthaeo Carranto.
23 Alexandro Mazolo.
24 Eidem.
25 M. Ant. Flaminio filio.

3 Jo. Bapt. Pius Jo. Ant. Flaminio.
4 Pio suo.
5 Jo. Bapt. Pius Flaminio suo.
6 Pio suo.
7 Romulo Amasaeo. 8.
9 Romulus Amasaeus Jo. Ant. Flaminio.
10 Romulus Amasaeus Jo. Ant. Flaminio.
11 Idem. 12.
13 Romulo suo. 14. 15. 16. 17.
18 Romulus Flaminio suo. 19.
20 Petrus Parthenius Jo. Ant. Flaminio.
21 Idem 22.
23 Georgius Savromanus Jo. Ant. Flaminio.
24 Angelus Gabrielus Jo. Ant. Flaminio.
25 Francisco Malapellenti.
26 Franciscus Malapellens Jo. Ant. Flaminio.
27 Francisco Malapellenti.
28 Franchinus Gafurius Jo. Ant. Flaminio.
29 Franchino Gafurio Musico.
30 Hieronymus Bononius Jo. Ant. Flaminio.

LIBRI XII.

1 Jo. Bapt. Pio.
2 M. Ant. Flaminio filio. 3.
4 Pio suo. 5. 6. 7. 8.
9 Pius Jo. Ant. Flaminio suo.
10 Pio suo. 11.
12 Nicolao Briotto Imolae Praefecto. 13. 14. 15.
16 Sebastiano Benedictonio Imolae Praefecto. 17.
18 Sebastianus Benedictonius Flaminio suo.
19 Oddo Sempronio.
20 Hieronymo Motheo.
21 Bernardo Purliliensi.

Epistola ad Clementem VII. Pont. Max. pro Civibus suis Forocorneliensibus. *Cujus exemplar apud nos exstat.*
Epistola ad Stephanum Saulium. *Cujus item exemplar apud nos exstat.*
Carmina ad B. Rubeum Vicelegatum Bonon.
Ad Philippum Obermairum.
Ad Garisendum.
Ad Pium.
Ad eumdem.
Quorum autographum apud nos exstat.

JO. ANTONII
F L A M I N I I
FOROCORNELIENSIS,
M. ANTONII PATRIS,
CARMINA SELECTA.

I.

Ad Julium II. Pont. Max.

Maxime Coelicolûm cultor, quo praeside majus
  Nil videt aut terrae clarius orbis habet,
Quem divûm genitor Romana in sede locavit,
  Et summum in terris jussit habere locum:
Res gravis est, cui te moderantem cuncta necesse est
  Consulere, ac totis viribus esse ducem.
Cura tibi et generis late commissa potestas
  Humani; quod te numinis instar habet:
Ut spernenda tibi non sit, pater optime, nostri
  Tutela, aut tantis destituenda malis.
Aspice, quo rerum nostrarum summa redacta est,
  Et patrium, cujus vix manet umbra, decus.
Terra potens opibus populisque et fortibus armis,
  Magnorumque altrix tam numerosa ducum,
Quae domitrix rerum, cui terrae paruit orbis;
  Gentibus exposita est, servitiumque timet.
Quanta sit haec Latiae subeunda injuria genti,
  Quam foedum patriae dedecus; ipse vides.

Cura tibi, scimus, debetur publica rerum;
  Teque patrem populis omnibus esse decet.
Hoc tamen ante alias pars haec pulcherrima rerum
  Poscit, et inprimis digna favore tuo est.
Hic vetus imperii locus est, hinc clara propago
  Pontificum, hic rebus gloria parta tuis.
Haec patria, haec sedes simul est tibi, qua regis orbem;
  Et caput in populis hic quoque Roma tua est.
Mille alias possim causas memorare: sed iis tu
  Non egeas; nec te, me reticente, latent.
Serviet ergo, quibus dominata est Romula tellus?
  Itala tam turpi terra premére jugo?
O patria! o divûm sedes! certissima custos
  Imperii, et terris omnibus ante pavor!
Sic ne igitur vilis? sic tu contempta jacebis?
  Non arma arripient? non feret ullus opem?
O pater, et tantae tu, Romule, conditor urbis;
  O decus antiquum, bellipotensque genus:
Si vobis si sensus inest, si gloria tangit,
  Famaque sub Stygias pertulit ista domos:
Non facinus taetrum, stirpisque infamia vestrae,
  Non acris animas ira pudorque movent?
Quo nunc Italiae, quo belli gloria cessit,
  Et vetus armorum militiaeque decus?
In tenebras abiit majorum lumen; et ingens
  Gloria, quae toto splenduit orbe, perit.
Brute, tuum hic nomen, tibi cruris gloria, Cocles,
  Fit minor, et dextrae Scaevola languet opus.
Aule, lacus tibi nunc decrescit fama Regilli.
  Nostra iterum Senones signa, Camille, petunt.
Magna parens, tellus altrix foecunda virorum,
  Tam sterilis foetu? tam sine honore jaces?
Nullus erit Cossus? non Manlius? impia nullum
  Cursorem tali tempore bella dabunt?
Non quisquam summis eludet montibus hostem?
  Nec spes in Deciis ulla salutis erit?

Spes igitur rebus jam fessis una : suos quem
  Non decet in tantis deseruisse malis .
Aspice nos placido , Latii pater optime , vultu ;
  Et mala mox oculis mitibus ista vide .
Inspice : tam gravia haec , tam mox horrenda videbis ,
  Ut mens inspectis non queat illa pati .
Pestis atrox saevit ; morbi contagia crescunt ;
  Et mala praeteritis asperiora ferunt .
Sic ubi conceptum est membris letale venenum ,
  Inficit , ac sensim spargitur atra lues .
Hic agitur rerum de summa ; deque salute
  Certamen durum est totius Ausoniae .
Si male res cedunt , libertas interit , et res
  Haec stragem nobis servitiumque parit .
Huc demum tracta est Italae sors ultima gentis :
  Nostraque tam dubio vitaque morsque loco est .
Quod si nos tanti fortuna inimica duelli
  Cogat Santonico subdere colla jugo ;
Quid tibi mentis erit ? quo te nunc vertere possis ?
  Quid tutum credas rebus inesse tuis ?
Quid Latium de te ? quid regna externa loquentur ?
  Quis rumor cunctis partibus orbis erit ?
Exeat haec igitur ? tam turpis fama vagetur ?
  Hanc ferat in populis Ausonis ora notam ?
Insultare aliquis , vel dicere possit , Iulo
  Pontifice , Italiam barbara jura pati ?
O natum vere tunc infelicibus astris ,
  In patria qui sic vivere possit humo !
Tu potes in tanto rerum discrimine solus
  Optatam populis ferre salutis opem .
Et potes et debes rebus succurrere lapsis :
  Ne Latium casu mox graviore cadat .
Viribus ipse vales propriis , quas ampla ministrat ,
  Et magis Oenotrii pars metuenda soli .
Tot tibi nunc parent urbes ; tua jura sequuntur
  Tot populi ; ut possis omnibus esse metus .

Adde tot insignes equitum peditumque catervas;
  Tot simul egregios ad tua signa duces.
Flos Italae virtusque tibi delecta juventae
  Militat: in castris haec habet arma tuis.
Quot confecta tibi jam tali bella fuerunt
  Milite! quot tali parta tropaea manu!
Irrita cesserunt tibi nunquam coepta: nec ullae
  Conatus vires impediere tuos.
Majestas tibi tanta dehinc, tu tantus in ista
  Sede nites; uni sic tibi posse datum est;
Totus ut a nutu terrarum pendeat orbis
  Ipse tuo, Christi qua patet orbe fides.
Cui solium Petri sic scandere contigit unquam?
  Cui nunquam mersae sic dare vela rati?
Dux opus est acris populos qui cogat in unum:
  Qui male concordes jungat ad arma manus.
Sed nemo est, tibi quem conferri posse putemus;
  Aut melius, quam tu, qui ferat ullus opem.
Fac tantum norint Itali te velle, coibunt:
  Et novus in cunctis protinus ardor erit.
Qui Senones nostris, quis miles Santonus armis?
  Belgica quaeve Italis sint satis arma tuis?
Ausonio quoties jam milite Gallia victa est!
  Quot saevis poenas cladibus illa dedit!
Nulla fuit, simili quae non invaserit olim
  Eventu Latias gens inimica domos.
Quid genus Æacidûm, quos patrum bellica virtus
  Compulit a nostris finibus ire procul?
Aut tibi Poenorum referam numerosa potentum
  Agmina? quid Cimbros, Teutonicamque manum?
Aut Herulos memorem perfusos sanguine nostro?
  Aut Hunnas acies semiferumque Geten?
Non desunt vires; modo non concordia desit:
  Atque habeat, qualem res petit ista, ducem.
Haec tua sunt igitur: te solum haec coepta reposcunt:
  Auspiciis sunt haec bella gerenda tuis.

Magna quidem est; verum provincia grandibus ausis
  Convenit, et curam postulat ista tuam.
Ingentes animos ingentia facta sequuntur:
  Nec tenues curas mens generosa capit.
Tradita praecipue gentis tutela Latinae
  Est tibi; et ad partes it prior ista tuas.
Quod licet (et poscunt nunc summa pericla), rogamus,
  Tuta sit ut tanto praeside nostra salus.
Sit defensus honor, libertas publica, per te;
  Pristina sit Latio te duce parta quies.
Barbariem hanc magnis expertus saepe periclis,
  Dum licet, Ausonio pellere Marte para.
Non tu tutus eris, non cani limina Petri,
  Ni properes: tutus non locus ullus erit.
Saepe nocet gravibus morbis cessasse medentem:
  Saepeque dilatam cura repellit opem.
In te oculos, in te verterunt ora Latini:
  Hoc sperant urbes, suppliciterque petunt.
Adde ingens decus hoc titulis, quos inclyta virtus
  Caelestisque favor tot peperere tibi.
Nam quamquam in populis tua tantum gloria crevit,
  Ut facile augeri non queat illa magis;
Tot tamen ex factis, nullum praestantius, et quod
  Te magis insignem reddere possit, erit.
Fama haec Aurorae croceos properabit ad ortus;
  Ad loca quae Phoebo deficiente tepcut.
Fama haec Ismariam Rhodopen transibit et Haemum,
  Et populos medio quos videt axe dies.
Italia est, quam tu tutandam sumis, et in qua
  Est tua cum nostra Marte tuenda salus.

II.

Ad Sodales; quos ad dandam Genio operam invitat.

Horrida saevit hiems: large praebenda, sodales,
  Ponite in arsuro ligua cremanda foco.

Cernite, quam Boreas Arctois concitus oris,
Irruat in medium pronus ab axe diem.
Cernite, quam gravibus tellus sit operta pruinis,
Quam rigido glacies strinxerit arva gelu.
Uritur apricis in collibus herba, decusque
Exuit: in stabulis delitet omne pecus:
Nec variis volucres concentibus aethera mulcent:
Nec duram scindit curvus arator humum.
Nec, quamvis animi fidens, mare navita tentat;
Caerulea vastum nec trahe sulcat iter.
Ima petunt curvi, nec se delphines in auras
Tollunt, nec summo gurgite monstra natant.
Quin etiam rapidi cursus fraenantur aquarum:
Fluminaque ingenti frigore victa rigent.
Victa riget Sperchi Ledeaque Phasidis unda;
Ister et auriferi lucida arena Tagi:
Quique iterum ardentes optaret cernere ripas
Xanthus et Eurotas lauriger et Simois:
Quaeque superfuerant undis tot ab igne crematis,
Ostia sunt glacie quinque coacta Padi.
Heliadum lacrimae cessarunt: humor inhaesit,
Nec Phaëtontei fluminis auget aquas.
Verrebat parvo piscator stagna phaselo;
Protinus est mediis cymba retenta vadis:
Et captus pariter bis capto pisce resedit;
Raptoremque suum praeda jocosa tenet.
Ergo agite, et largâ Vulcania munera silvâ
Congerite; et multo splendeat igne focus:
Et Genium curate simul, curate, sodales;
Tuque puer trimi pocula prome meri.
Sic tetricos motus, sic et mala frigora mecum,
Strymona et ad gelidos usque fugate Getas.

III.

Epithalamium.

Candida divitibus Venetûm demigrat ab undis
  Nereidum sacri (sic reor) una chori.
Qualis cum caelo discussa nocte sereno
  Candidus advenit Phosphorus ante diem:
Vel qualis croceo solita est Aurora nitore
  Spargere purpureum nocte abeunte jubar.
Ipsa verecundo demissam lumine ducit
  Virgineâ sponsam diva Erycina manu.
Hinc Paean sua plectra movet, divaeque sequuntur,
  Et choreas celebrant ex Helicone novem.
Fallor? an ista, Simo, tibi lux celeberrima fiet;
  Teque simul chorus hic festaque sacra petunt?
Laetus Amor tibi serta ferunt et Phoebus et Evan;
  Fertque simul blandum Gratia juncta pedem:
Spargit et innumeros flores, dum conjugis artus,
  Et tenero amplexu mollia membra foves.
Lilia non cessat nec olentem spargere thymbram,
  Et vario mixtas fundere odore rosas.
Jam clamatus Hymen: cedant tibi pectore curae:
  Solliciti nulla est jam tibi causa metus.
En conjux tibi certa manet: nil vota moratur:
  Quique solutus erat, jam tibi certus amor.
Et licet expositum tibi jam per limen aperto
  (Quid, Simo docte, paves?) ire redire gradu.
Janitor haud usquam est, nec lex tibi caussa timoris,
  Nec pudor amplexus impedit ecce tuos.
Oscula da liber: duras reminiscere noctes.
  Est tua: quid dubitas? est tua: pone metum.
Digua quidem merces, vel si tibi forte labores
  Objiciat conjux dura, Jovisque soror.
Si tibi monstra forent clavâ domitanda trinodi;
  Vel leo, vel tristi dente timendus aper.

Et pariter jubeat tenebris horrentia regna,
  Teque velit Stygiâ trans vada lintre vehi.
Vel si Cyaneos etiam rapiare per aestus,
  Aut te Pisaeâ currere lege velint.
Nec minor haec merces, quam si tria vallibus Idae,
  Arbitrium repetant numina nuda tuum.
Nec si fulgenti veniens Titonia bigâ
  Apprensum conjux te per inane vehat.
Alma Venus formam, Charites tribuere decorem,
  Vivendi legem Juno pudica dedit.
Quam nec Penelope vincet patientis Ulyssei,
  Casta nec accensos Hippias ante rogos.
Nec quae carbones audita caede flagranteis
  Conjugis insuetâ morte peremta bibit:
Nec quae desumsit formamque habitumque virilem
  Non pavida in tristi Marte secuta virum:
Nec tu quae vivum passa es praebere sepulcrum,
  Conjuge consumto conjugis ipsa tui.
O felix conjux! felicia vincula! prodi,
  Et thalamos intra jam, nova nupta, tuos.
Flava verecundo sparguntur ut ora rubore!
  Vera pudicitiae qualia signa dedit!
Intra: quid dubitas? lacrimis quid pectora turpas,
  Pectora brumali candidiora nive?
Sic tibi, sic decimum properet bona Cynthia mensem:
  Et videas uteri pignora cara tui.
Sic Lucina tibi praesenti numine parcat:
  Pondera neve obsint grata, puerque latens.
Care puer, ne laede, precor, ne laede parentem:
  Nec non sueta nimis viscera forte graves.
Cumque tuos tacito vultus natura recessu
  Formarit, facies et rudis intus erit;
Multum ex patre feras, similisque enascere proles:
  Plus tamen ex ipsa matre decoris habe.
Tuque puellarum virgo decus, optima sexus
  Fama tui, et castae virginitatis honos;

Vincla fove, dignumque tuis complectere demum
  Moribus et vera simplicitate virum.
Inque fide stabili maneas per tempora concors:
  Legitimi quando es parte recepta thori.
Sic durent vultus; viridi candore juventa
  Floreat; et tarde sit tua forma senex.

IV.

Villa Galeoti.

Dives in Euganeis Galeoti villa diserti,
  Carmine quo tolli te modo posse rear?
Digna quidem studio majori, digna poëtae
  Ingenio et vena fertiliore fores.
Quidquid erit, meritis nos inferiora, tuisque
  Laudibus haudquaquam scribimus ista pares.
Non te myrtetis viridaria culta Diones,
  Aut decorat viridis tonsile buxus opus.
Non coelebs platanus vidua te protegit umbra,
  Lata beant pinguis sed magis arva soli.
Vero rure places: tibi jugera laeta quotannis;
  Et fartas fruges angulus omnis habet.
Nec tibi sola Ceres: Baccheïa munera large:
  Inque cavo domitas caecuba multa lacu.
Nec tibi in autumno pomis fit inutilis annus;
  Divitiis arbor vincitur ipsa suis.
Mugitus lata referunt in valle juvenci;
  Prurit et in pugnam fronte tener vitulus.
Cristata ingenti spatiantur sordida corte
  Altilia et pavo plurimus, anser, anas.
Hic turtur vidua est; illic philomela canoro
  Concentu et modulis aëra mille ferit.
Convocat hinc parvos blande modo sedula pullos,
  Aut avidos quernâ villica glande sues.
Hic stabula alta vides, illic et ovilia, pastam
  Mollis ubi exspectat plurimus agnus ovem

Inde focum vernae lutei tibi vespere cingunt,
  Et crepat in lato silva benigna foco.
Vescitur hic laetus prima sub nocte colonus,
  Et curas multo diluit ille mero.
Nec, cum canet ager, dat segni membra veterno,
  Tristis hiems pigro cum premit arva gelu.
Aut avidis igitur jam retia tendere turdis,
  Aut timidum damam fallere casse parat.
Et modo vicina piscem vel captat in unda,
  Aut leporem canibus lata per arva fugat.
Hanc repetis crebro, felix Galeote, quietem,
  Taedia te quoties urbis iniqua premunt.
Hîc mentem, hîc corpus renovas; hîc rustica tecum
  Musa vacat, segnem nec tamen esse sinit.
Nos quoque Pieridum quota turba venire solemus,
  Otiaque in laeto ducere grata solo.
Salve, rus felix; salve jucunda Camoenis,
  Carminibus sedes non reticenda meis.
Te pia, si quicquam possit, mea Musa merentem
  Tollet, et aeterna sedula laude vehet.

V.

In invidum, retrogradi versus.

Exitium caput hoc fugiat; nec turbida pressum
  Tempora te curis, ut precor, aspiciant.
Naufragium pia non moveant; sed concita nusquam
  Caerula te reddant, te freta littoribus.
Æquoreis cibus et monstris sint corpora nunquam:
  Libera sic diris sint tua fulminibus.

VI.

In Silvam Jo. Gazoldi.

Quae silva haec? felix: felix? quam dives? ut hortos
  Phaeacum, ac ditis vicerit Alcinoi.

Quî potis est? plura hæc mala fert. Quot mala? mala, inquam,
Poma quot olim hortus non tulit Hesperidum.

VII.

Francisci Saxatelli Epitaphium.

Si pensare brevis licet aevi tempora factis;
Et vixisse diu gloria parta facit:
Saxatelle, ducem Pylium, Francisce, Phrygemque
Æquasti, patriae militiaeque decus.
Vix quater exieras lustrum, cum laude perenni
Attulit in Venetis pugna cruenta necem.

VIII.

In picturam puerorum certantium.

Injecere manus, et prensavere capillos
Infensi pueri; pugnaque coepta gravis.
Clamat hic; inclamat pariter contrarius illi;
Desine; te linquam. Desine, et alter ait.
Sic, dum non linquit, dum finem non facit alter;
Infensis pugna hanc durat ad usque diem.

IX.

Ad inclytum Joannem Saxatellum.

Saxatelle, decus patriae tutelaque nostrae,
Et gentis splendor famaque prima tuae:
Saepe tuas tento complecti carmine laudes:
Obruor, ac tantum Musa recusat onus.
Quis tenui cyatho concludat fluminis undam?
Audeat aut vastum currere lintre fretum?
Me novus incessit stimulatque hic saepius ardor:
Mox vires desunt, ingeniumque cadit.

Ausa nimis medio conatu Musa resedit,
  Et traxit retro tacta pudore pedem:
Quod si non valeo, nostrisque est viribus impar
  Hoc, toties quod me jam voluisse vides:
Inclyte Joannes, hìc mentem vatis amici
  Suscipe, et hanc, quaeso, muneris instar habe.
In magnis, recipi pro facto prona voluntas
  Debet; et inprimis digna favore venit.
Dicta sit haec igitur laudum mihi summa tuarum
  Maxima; qui merito non potes ore cani.

X.

Ad Philippum Beroaldum juniorem.

Clari progenies colenda patris,
Gentis praecipuum decus Latinae,
Sermonis patrii potensque Graji,
Clarorum specimen virûm, Philippe;
Quas unquam tibi gratias decenter
Pro tantis meritis agant uterque
Major Flaminius tuis minorque?
Novi, quid deceat, scioque quantum
Hinc natus, pater inde, debeamus:
Sed vires nequeunt: onus recusant
Imbelles humeri. Quid ergo agendum
Jam nobis superest, quibus facultas
Impar officiis nequit referre
Quicquam pro meritis? manebit usque
Infixa haec animis tenax utrique
Nostris gratia, nec valebit ulla,
Quamvis longa, dies, bonis locatam
Hanc ex pectoribus movere quondam:
Non si nos Pylii senecta regis,
Annosae aut maneant dies Sibyllae.

XI.

Epitaphium Camillae Veneriae.

Si genus et rarum formae decus adjuvet usquam,
  Grataque purpureo flore juventa queat:
Si valeant animi dotes ac vivida virtus,
  Impia Parcarum sistere fila trium:
Tot flexisse bonis non exorabile fatum,
  Et durae poteras frangere mortis opus.
Ingruit infelix heu vis, quae lege perenni
  Perderet, inque brevi conderet ista loco.
Diva Gnidi luge, Charites lugete benignae:
  Pars jacet hic vestri quarta, Camilla, chori.

XII.

In Galli obitum.

Immatura mihi Gallum mors abstulit, heu, heu!
  Pallida per Stygias jam volat umbra domos.
Quam bene doctus erat cantu praedicere lucem,
  Et matutinum praecinuisse diem!
Lucifer in caelo Phoebi dat signa propinqui:
  Hic mihi sed terris Lucifer alter erat.

JO. ANTONII

F L A M I N I I

CARMINUM SELECTORUM

INDEX.

GABRIELIS

F L A M I N I I

M. ANTONII NEPOTIS,

C A R M I N A

LECTIORA.

DE VITA

GABRIELIS FLAMINII,

M. ANTONII NEPOTIS,

FRANCISCUS M. MANCURTIUS

(*Gabrielis Flaminii Carmina quae ad oram paginarum citantur, partim nunc primum edita sunt, partim MSS. servantur Foro-Cornelii apud Flaminios et Mancurtium.*)

Gabriel Flaminius Julio, et Blanca parentibus apud Forum Cornelii natus est, Clemente VII. Pontifice Max. Eleganti ingenio praeditus, ad mores optimos atque ad litterarum studia a prima aetate est institutus, in quibus adeo profecit, ut illustrium Flaminiorum Jo. Antonii et M. Antonii in pangendis Carminibus, Sebastiani vero et Honorii in medendi arte summam laudem gloriamque consequi contenderit. Bononiam igitur Anno 1548. a patre mittitur adolescens, qua in urbe doctissima ea tempestate Latinae Graecaeque litterae, scientiaeque omnes admodum florebant, Nicolao Bargellesio Sacerdoti, praeclaro viro, maxime commendatus; apud quem, dum Bononiae studiorum caussa constitit, commoratus est. In Graecam itaque linguam tanto studio, tantisque ingenii viribus incubuit, ut eam perfecte didicerit, eademque opera veteres illius linguae Scriptores assidue legendo, ac interpretando, uberrimam dicendi scribendique facultatem ex illis adeptus fuerit, ex Demosthene in primis, ex Platone, ex Luciano, Sophocle, Isocrate, tum ex Homero, cujus primum Odysseae librum Latino hexa-

metro expressit. Utque expeditior promtiorque ad Graece scribendum redderetur, non solum ex Graeco in Latinum, sed ex Latino in Graecum Auctores vertit; nam prae ceteris aliquot Virgilii carmina ad Graecam linguam traduxit.

In hisce litterarum disciplinis Franciscum Robortellium et Carolum Sigonium, Clarissimos Viros, in Bononiensi Gymnasio bonarum Artium praeceptores audivit, sociosque habuit praeclari nominis juvenes, quibus familiarissime usus est, Franciscum (1) Denalium, Eustachium Lucatellum, Joannem Cargam, Sebastianum Regulum, Jo. Andream Calligarium, Franciscum Caburaccium, aliosque Poëtas et Oratores non incelebres.

Verum cum in haec litterarum studia incumberet, et ad omnem virtutis laudem progrederetur, M. Antonius Flaminius patruus praesidiumque studiorum ejus, quippe qui sua liberalitate studia illius sustentabat, Romae ex hac vita migravit. Quanto propterea dolore perculsus fuerit ex tanti viri jactura, duplici carmine significavit, quorum unum ad M. Antonium Turrianum Veronensem insignem virum misit.

Jam vero politioribus litteris utraque lingua tum versibus tum soluta oratione eruditus dinque exercitatus, ad illa alta et magnifica Philosophiae studia adspirabat, ad quae animum vehementer adjecit. Excellebat aetate illa in Bononiensi Academia Jo. Antonius (2) Lucatellus, summus Philosophus, a quo tum Philosophiae tum Medicinae praeceptis imbutus est junior Flaminius. Dialecticae primum studuit, mox morali, deinde naturali Philosophiae operam dedit, quas egregie ingenii, qua pollebat, acie est assecutus. Mathematicam quoque didicit, ne quidquam eorum quae ad doctum Philosophum spectant, sibi deesset. Quibus in disciplinis sibi comparandis usus est etiam Bartholomaeo Domenodo, insigni Phi-

(1) Carm. ad eosdem.

(2) Carm. ad Francisc. Denalium, et ad Jo. Ant. Lucatellum.

losopho. His praeclaris artibus scientiisque egregiis ad Medicinae facultatem aditum sibi aperuit; utque facultatis hujus cognitionem altius consequeretur, et humani corporis affectiones rimaretur ac paene intuerctur, quo iis mederi facilius posset, Anatomiae, praestantissimae arti, Jo. Francisco (1) Rota, praeceptore optimo, operam navavit; in qua diligentissimus fuit investigator, quemadmodum Anatomicae sectiones ab eo descriptae plane testantur.

Cum igitur Philosophia atque medendi arte, doctorum hominum judicio excelleret, in Bononiensi Academia a Nicolao ab Armis, in utraque censura Doctore praestantissimo, honorifica insignitus est laurea, qua Viri utraque docti facultate decorantur, XIV. Kal. Aprilis Anno 1556. habuitque die illa doctam disertamque Orationem ad Patres sapientissimos in quorum Collegium omnium votis relatus est. Eamdem porro Academiam non semel eloquentia atque doctrina sua illustravit, ac audientium animos in admirationem traduxit, et praesertim cum pridie Idus Aprilis ejusdem Anni Orationem de illius Academiae Moderatore habuisset; moxque praeclaram Lectionem problematicam in Aristotelis problema omnium in oculis recitasset, scilicet XIV. Kal. Augusti.

Itaque tum a doctis tum a nobilibus viris summa gratulatione ac laetitia exceptus, omnium sibi amorem ac benevolentiam conciliavit. Nam cum ejus ingenii praestantia conjuncta esset cum tanta morum suavitate atque humanitate, dignus plane fuit qui ab omnibus amaretur et coleretur. Comes (2) Landus et Constantinus Brancaleo, Camillus Paleottus et Cornelius Pepulus in eum summae benevolentiae ac liberalitatis officia contulerunt, a quibus honorifice sane lauteque acceptus est: ipse vero eorum animos erudito et pleno suavitatis sermone reficiebat, et tunc maxime cum in suburbano amoeno loco apud eos di-

(1) Carm. de Jo. Franc. Rota.
(2) Carm. ad eosdem, et ad Phil. Ferrium.

verteret, quo etiam tempore Musis vacavit, ac Pepulorum amoenissimam villam carmine descripsit, ac stili sui coloribus depinxit. Quapropter nihil sibi ad vitam tranquille agendam fuit jucundius, quam ruris dulces recessus petere, veris praesertim et autumni tempore; quod vitae genus ceteris anteposuit, omniumque felicissimum esse duxit.

Igitur quotannis cum visendi (1) patris, fratrisque, honestique otii caussa patriam repeteret, ad agellum suum prope Vatreni amnis fluenta migrabat, ibique curis vacuus fundebat versus mira ingenii felicitate. Hinc suis carminibus ab ruris delicias amicos invitabat, eosque ad idem scriptionis genus provocabat. Quo factum est, ut totum tempus quo gravioribus studiis solutus erat, tum in excolendis Musis, tum in interpretandis adolescentibus discendi studiosis, Latinos Auctores, Poëtas maxime, atque in primis Horatii Poëticam, contereret.

Ubi vero dulci litterarum otio ruri perfruitus est, ad illa severiora studia et munera quibus se addixerat, animum revocavit. Nam Bononiam repetens, Medicinam summa cum laude exercebat, deque illo bene existimabatur, adeo ut in morbis difficillimis medicus optimus haberetur. Quocirca hac tanta celebritate famae cum esset jam absentibus notus, Mediolanum profectus est Anno MDLIX. ut aegris medicinam adhiberet: in quibus curandis artificium omne omnemque diligentiam et industriam praestitit; totus enim erat in investiganda morborum caussa; qua inventa, curationem esse inventam noverat. Quo etiam tempore in Philosophicis disciplinis juventutem per biennium optime erudivit. Amore itaque et existimatione illum nobilissimi ejusdem urbis viri prosequebantur, et omnium maxime Bernardinus (2) Scotus, cujus benevolentiam ac liberalitatem, Bononiae cum esset, ex-

(1) Carm. ad Seb. Regulum, ad Petr. Ant. Costam, ad Cornel. Pepulum, ad Eustach. et Jo. Ant. Lucatellos.

(2) Carm. ad eumdem.

pertus fuerat. Interea Jo. Antonius frater ejus e vivis excessit: quocirca in patriam Gabriel a patre jam senescente revocatus, hortante illo, uxorem duxit Camillam Jo. Speronii nobilis viri filiam.

Hinc postea cum naturali quadam propensione atque affectione in Bononiae urbem, ubi magna ex parte institutus fuerat, teneretur; ad eamdem remigravit. Vivebat igitur in illa doctissima urbe ea nominis claritate qua (1) Sebastianus, et Honorius Flaminii ejus patrueles, praestantes Medici, Florentiae degebant. Nihil enim antiquius habuit quam ut assiduo studio majorum suorum se similem praestare contenderet, ac in eorum vitam, quasi in speculum, oculos mentis diligenter intenderet. Verum cum omnes eo judicio illum amarent, ducerentque, ut in ejus ingenio ac virtute tum Poëticae, tum Medicae facultatis decus collocare se posse confiderent, mortifero morbo in patria, ad quam valetudinis caussa se contulerat, correptus, hominibus eripitur, atque in primis Julio patri atque Camillae conjugi carissimae; ex qua Juliam filiam susceperat. Obiit Anno salutis MDLXV. mense Augusto, in Æde D. Augustini sepultus.

(1) Sigonius et Borgaruccius in Vita Onuph. Zarrabbini. Et Petr. Victorius ad Eroph. Flamin. lib. IX. Epist. pag. 204.



ILLUSTRIUM POETARUM

DE GABRIELE FLAMINIO

TESTIMONIA.

Ex Codice Manuscripto Carminum ejusdem Gabrielis.

AD GABRIELEM FLAMINIUM

JOANNES CARGA FOROJULIENSIS.

Flamini lepidissime, expolita
Tua Carmina saepius relegi;
Et, si quid potui videre, vidi
In ipsis (me ita ament dii) beatum
Candorem Patrui tui et lepórem
Et venam omnigenam et sales repostos
Et rerum ordinem et elocutionem
Et quae maximus omnium Poëta
Praesefert Patruus tuus. Sed ille,
Dicam pace sua, meis ocellis
Longe abs te superari in hoc videtur:
Nam tu vix juvenis, quod ille longo
Tempore et studio, bene ac beate
Assecutus es; insuperque Grajos
Vates ore facis loqui Latino,
Latinosque Italo, atque utrosque Grajo;
Condiens lepidos jocos eorum
Splendore ac gravitate singulari.
Quare conjicio futurum, ut unus

Nobis restituas, tuoque saeclo
* Quotcumque fuere Vatum honorem,
Amissam reparesque dignitatem.
Perge ergo, ut facis, optimumque nomen
Magnus Flaminii tui coheres
Jam primum tibi vendica, ut solutus
Mole corporea canorus ales
Ad Hyperboreos voles et Aphros,
Nec possis cohiberi aqua paludis
* Stygiae, neque siderum recursu.

AD GABRIELEM FLAMINIUM

FRANCISCUS DENALIUS REGIENSIS.

Quid facis, Gabriel, quid in beato
Otio facis? an Thalia dictat
Quid inter Satyros tibi petulcos,
Inter et Dryades cavis in antris
Dignum Flaminio tuo? jocosi
Cujus Hendecasyllabi, et diserti,
Cujus et simul Attici lepóres
Vivent dum tenui rigabit herbas
Rore Memnonis alma mater, et dum
Piscis flexivagus revolvet undas.
Versus, dic age, melle dulciores
An dictat tibi Musa pervaganti
Flores, lilia et hortulos amoenos
Vatum (ut arbitror) et sacri Maronis,
Atque Flaminii tui, tuique
Catulli? Gabriel, tuo sodali,
Qui te amat mage quam suos ocellos,
Mitte si quid habes Marone dignum,
Sive Flaminio tuo tuoque
Catullo; mihi nam profecto posset
Nihil gratius esse, nil amore
Nostro dignius evenire. Quare

Ne celes, Gabriel, bonum sodalem
Sacro si quid agis Marone dignum,
Sive Flaminio tuo tuoque
Catullo: tibi amore vinci ab ullo
Turpe namque foret, nec optimo te
Dignum. Quare age, quidquid est, sodali
Mitte, et rumpe moras equo citato.

AD (1) GABRIELEM FLAMINIUM JUNIOREM

JO. ANDREAS CALLIGARIUS.

Quid, quaeso, Gabriel, tuum sodalem
Celas versiculos tuos venustos,
Tuos versiculos nimis beatos,
Beatos nimis, et nimis jocosos?
Quos silva tibi dictat in sacrata
Collis Aonii puella cultrix.
Ergo per superos precor rogoque,
Mittas versiculos tuo sodali,
Qui te plus oculis amat colitque.
Sic et Flaminium tuis venustis
Vincas carminibus, comas virenti
Praecinctas hedera gerens, voletque
Fama Flaminii virûm per ora.

AD GABRIELEM FLAMINIUM

HIERONYMUS SINUS FOROCORNELIENSIS.

Flamini, juveni ore cui rotundo
Digna Flaminio sene Camoena
Dictat carmina melle dulciora:
Quod me tam lepidum tuis venustis
Fingis Hendecasyllabis, profecto
Id tuae eximiae benignitatis
Totum est. Id fateor, simul beate
Nexi sanguine, patria, atque amore,

(1) Vide pag. 479.

Vivimus placida quiete utrique.
Sed cur o cumulus beatioris
Vitae deest mihi? cur simul cupitam
Vitam ducere et Attico lepóre
Et sale et tenera allocutione
Orbor candiduli mei sodalis,
Bone o Juppiter? id reor vetat sors,
Ne mihi superi invidere possint.
Fallor, nec, nisi distrahet me ab ipso
Me, vis distrahet optimo a sodali.
Tecum semper ero, intimoque habebo
Fixum pectore et intimis medullis,
Ima te venerabor inque mente.
Quod si candidulae tuae Camoenae
Riges mellifluo lepóre mentem
Tu quandoque meam, venuste amice,
Jam nil improba sors potest vetare,
Nec vitae cumulus beatioris
Deest mihi, et superi invidere possunt.

AD GABRIELEM FLAMINIUM

FRANCISCUS CABURACCIUS

FOROCORNELIENSIS.

Semper plus oculis meis amavi,
Candidissime Gabriel, lepóres
Quos Musae tibi suggerunt, salesque,
Quod nec molliculi, et satis pudici.
Nam sunt qui puerûm canant amores,
Turpe, et millia multa basiorum,
Et hoc esse velint boni poëtae.
Sed si versiculos honestiores
Argute moveat bonus poëta,
Nonne hic ingeniosior videtur?
Quare, o culte, sales tuos pudicos
Semper plus oculis meis amavi.

GABRIELIS

F L A M I N I I

M. ANTONII NEPOTIS,

CARMINA SELECTA

I.

Thestylis.

Me, Dea silvicolae multum dilecta Dianae,
  Accipe devotum, sancta Pudicitia;
Et Veneris foedos posthac averte furores,
  Ardeat ut vestro pectus amore meum.
Thestylis haec; postquam, fucum atque unguenta perosa,
  Candidulum puro comsit honore animum.

II.

Amyntas.

Irriguos saltus et flore nitentia prata
  Quae parvus placida Rhenus inundat aqua,
Rusticus antiquasque domos licturus Amyntas,
  Patria dum maestus rura pererrat, ait:
Umbrae frigidulae, lympha deducte salubri
  Rivule, vos tuguri regna beata mei,
Dum placitum fatis, coluit vos laetus Amyntas,
  Et vellet vestro post cecidisse sinu.
Nunc quando invitus peregrinas cogitur oras
  Visere, et externo vitam agitare solo;

Scite, illum, quamvis corpus seducat, ab istis
Nunquam animum terris posse vocare suum.

III.

In Iolam.

Haec tria (1) *citricomo* e luco *chariteus* Iolas
Aurea decerpens poma dat ipse mihi.
Dumque dat, O, dixit, Ligurinam qualia adistis
Munera! nec refugos flectere visa oculos.
Ah miserande puer, talin' torqueris ab igne?
Nullaque flat quae aestus leniat, aura tibi?
Ah puer, ah male sane, alto quid temet amore
Excrucias? flammis sunt oleum haec lacrimae.
Quae tibi sexcentis animum tenet horrida curis,
Non vacuum semper pectus amore geret.

IV.

Ad Phoebum et Musas pro optimae spei adolescente Bartholomaeo Assandro.

Dive potens cithara, Vatum cui carmina curae,
Et vos Pierides, numina clara, deae.
Totum se vobis teneris nunc dedit ab annis
Solerti Assander nobilis ingenio.
Quem dea quae patrio fertur decussa cerébro,
Plus anima atque oculis diligit ipsa suis.
Vos facite ut doctis possit certare poëtis,
Vinciat et nitidas laurea vitta comas.

V.

De Obitu Lalages.

Dulcis, o Lalage, mei lepóres,
Dum lux molliculos regebat artus,

(1) Vide I. Italicam Epistolam M. Antonii Flaminii pag 275.

Quam semper studui impolita avena
Ornare, ac elegis in astra ferre,
Ergo mors mihi te abstulit misello?
Videbuntque tui paludis undam
Ocelli Stygiae, ferum et Charontem?
Is nunc perque viam semel premendam
Illuc unde valent redire nulli.
Vos Orci Lalagen malae tenébrae,
Meas delicias, mihi abstulistis,
Quam plus ipse oculis meis amabam;
Bella nam fuit et decora multum.
O magnum scelus, o misella virgo!
Jam propter te oculi mei rubebunt
Semper, heu madidi tepente luctu.

VI.

Rhododaphne.

Quaeritis, unde mihi vivaces fronde capilli,
  Et coma cur laetis floribus aucta siet;
Cum tristis lateat viridanti cortice succus,
  Oraque libanti tristis amaror edat.
Talis eram, cum me proles Latonia Apollo
  Ardebat, facie pulchra, pudore fera.
Quin et cum soleam doctas vincire corollis
  Frontes, mî radix tristis, amoena coma;
Nempe decet Vates primo tolerare labores,
  Vivida ut evolitet fama per ora virûm.

VII.

Ad Galateam.

Nunc Veris comites spirant Zephyrique suaves,
  Non laetos colles cana pruina tegit.
Fundit ubique novos tellus variata colores,
  Et pecori frondes silva benigna parat.

Omnia laeta vides; Veneris sed cura Cupido
  Accendit saevas in mea corda faces.
Uror, et, infelix, talem restinguere flammam
  Sola potest facies, o Galatea, tua.

VIII.

Ad Petrum Antonium Costam.

Acris fugit hiems, flores nunc daedala tellus
  Spargit ubique, Petre,
Frondescunt silvae late, stabulisque relictis
  Occupat arva pecus.
Jam posuere Noti, surgunt et leniter aurae,
  Et salices quatiunt.
Jamque trahis positis, instruxit plaustra colonus,
  Atque boves validos.
Florida non canis albescunt prata pruinis,
  Nunc calor omnis abest.
Te decet, Antoni, doctas deponere chartas
  Donaque Pieridum,
Et caput in pratis laetis circumdare sertis,
  Colligere et violas;
Vatrenumque patrem saxis spectare sonantem
  Ilice sub viridi;
Atque hic, Fabritio (1) citharam tangente canoram,
  Pascere corda joco.

IX.

Ad Lalagen.

Illa fuit felix aetas quae perdita nullo
  Luxu consuerat pellere glande famem,
Atque sitim nitido pariter compescere rivo,
  Nec norat puppi salsa secare freta;

(1) Phaello.

Nec Tyrio cives fucabant vellera succo;
  Tunc somnos illis gramina laeta dabant.
Classica tunc miles praesenserat horrida nullus
  Martia, nec fusus tinxerat arva cruor.
Ferrea nos aetas: duros conflavimus enses,
  Novimus et spumas aere ciere salis.
At celer extremos properet mercator ad Indos,
  Et toto fugiat marmore pauperiem.
Et clypeo tectus miles jam signa sequatur,
  Si referat gazas, Marte favente, domum.
Non cupimus telis nos atram avertere mortem,
  Festinat celeri nam nimis illa pede.
Et potius gemmae pereant Sarranaque vestis,
  Quam nostros abitus ulla puella fleat.
Te decet, o Caesar, terra bellare marique,
  Barbara turba tuo ut serviat imperio.
Me tenet ah vinctum formosae vultus amicae
  Lumine Phoebeos quae exsuperat radios.
Huic divae cedant quas olim vidit, amictum
  Pastor in Idaeis deposuisse jugis.
Hanc ego dum spectem, valeatis castra ducesque,
  Et dicar segnis, dum te habeam, Lalage.
Nec pudeat silvis placidam traducere vitam,
  Nec pudeat parva nos simul esse casa.
Dii facerent esset nobis aeterna juventa,
  Et nostrum inficeret nulla senecta caput.
Nunc, Lalage, dum fata sinunt, vivamus: operta
  Festinat tenebris mors violenta suis.

X.

Ad Bernardinum Scotum.

Non lepus aut volucres, animae pars maxima nostrae,
  Bernardine, tui pignus amoris erunt.
At lepor ingenii, mores et vivida virtus
  Sunt permansurae semina amicitiae.

Ergo animi quantum crescet sapientia, Scote,
Tantum erit in nobis mutuus auctus amor.

XI.

Ad Constantinum Brancaleonem.

Pauperiem, et durae fugiens incommoda vitae
Nocturno exsurgit femina curriculo;
Excitat inde focum, manibus data pensa laborat
Imminuens, volucre et sedula volvit opus.
Tu qui nocturnis gaudes pallescere chartis,
Constantine, meae maxima pars animae;
Illam, vicinas dum subcantillat ad auras,
Odisti, studiis quod sit acerba tuis.
Verum si reputes et tecum tute revolvas,
Quid tibi tu speres, quid petat illa sibi:
Æs geret illa sui pretium lucrosa laboris:
At tibi perpetuo fama superstes erit.
(Vix credas) tali in studium torqueberis oestro,
Ut moveant mentem carmina nulla tuam.

XII.

Ad Sebastianum Regulum.

Humanissime Gratiarum alumne,
Quem Phoebus pater et novem Sorores
Semper plus oculis suis amarunt,
Audistin', Gabriel tuus laborat
Acerba nimium malaque febre;
Quapropter patriam laresque caros
Fratremque (1) unanimem cupit videre,
Et dulces simul osculari amicos.
Tu parum lepidos meos libellos
Remittas, bone Regule, ac ama nos.

(1) Jo. Antonium.

XIII.

Ad Eustachium Lucatellum.

Eustachi venerande, nostra dicit
Musa nunc tibi plurimam salutem,
Suadetque ut rigidum locum relinquas,
Dum Phoebus medio micans sub axe
Mortales radiis suis fatigat;
Et mecum Aonios petas recessus.
Hîc ducunt choreas sacrae Sorores,
Hîc canit lepidos Apollo versus,
Lymphas egelidas bibunt Poëtae,
Et crines nitidis virent corollis.
Quare fac, rigidum locum relinquas,
Eustachi venerande et erudite.

XIV.

Ad Alexandrum Hirundineum.

Garrula ceu Progne laetum Ver voce reportat,
Cum virides tellus explicat alma comas:
Cumque solent volucres cantu prope rauca fluenta
Somnifero mentes exhilarare hominum:
Sic tu cum rhythmos cythara modularis Etruscos,
Candide Alexander, saecula prisca refers.
Namque canis versus, celeres qui sistere ventos
Et possent cursus flectere sidereos.

XV.

Ad Cornelium Pepulum Comitem.

Corneli, proavûm stemmate nobilis,
Praestantis melior dotibus ingenî,

Nunc Ver ecce tibi purpureum redit,
Et Veris comites arboribus comas
Aurae restituunt; prataque gramine
Pulchro sub Zephyri flatibus annui
Ornantur: niveis solibus en tibi
Post tristes hiemes lucidus annus it.
Nunc tempus miseras effugere urbium
Curas, atque animis otia turgidis
Captare, egelidos aut prope rivulos,
Aut inter Dryadas sub nemorum coma.
Hnc non te armigerûm turba clientium
Sectatur: melius deliciis procul
Et luxu patrio, pectore Apollinem
Purgato accipies, et Polyhymniam.
Dulces arma licet Pierides canant,
Et junctas lituis horribiles tubas,
Armorum sonitus attamen oderunt,
Et laetae gelidis rupibus aurea
Tractant plectra, lyras et crotalos manu
Solerti: cithara Pindus amabili
Umbrosusque Helicon suaviter obstrepunt.
Disces commodius rure, tumultibus
Urbanis procul atque ambitionibus,
Quid mores hominum Nicomachi (1) pater
Informans tulerit; prima elementaque
Naturae et varias rebus in iis vices,
Caelumque astriferum signaque lucida
Cognosces melius hîc, ubi apertius
Vires ipsa suas explicat; hîc jubar
Contemplabere surgentis Apollinis,
Ut post occiduum tendit ad Hesperum
Pactis foederibus noctivagae deae
Cedens; hîc nivei jugera arant boves
Immensa; hîc, avidi gaudia rustici,

(1) Aristoteles fuit filius Nicomachi, et habuit filium hujus nominis; cui etiam aliquem ex suis libris dicavit.

Fruges herbifero terra creat sinu;
Erumpunt vitrei collibus infimis
Fontes; hinc placidi gramina rivuli
Percurrunt, tenui saxaque murmure.
Non est diis placitum, me studio gravi
Abductum genio vivere libero.
Quod si quando sinent nostra negotia,
Cum doctum Sophiae Gymnasium silet,
Tecum Flaminius semper erit tuus,
Et mandata libens accipiet: bene
Nunc sis usque valens, usque memor mei.

XVI.

In Coeliam, mulierem jocosissimam.

Coelia figmentis feliciter apta creandis,
Deliciae juvenum, Coelia nota jocis;
Et quae debuerat Cumaeae saecula vatis
Vincere, nunc periit Coelia: flent Charites.

XVII.

In Obitum M. Antonii Flaminii Patrui.

Te gemit extinctum formosi mater Amoris,
Flamini, et exstinctum Musa Latina gemit:
Illa suos uni dederat tibi dicere lusus;
Ausoniae dederat haec decus esse lyrae.

XVIII.

Ad M. Antonium Turrianum.
De M. Antonio Flaminio Patruo mortuo.

Flebile nil quamvis resonent nisi carmina nostra,
Et mens in numeris aestuet icta malis,

Postquam saeva deae torquentes stamina Parcae
  Diripuere meum Pieridumque decus:
Postquam pallidulos ducens Mors impia questus,
  Flaminium campos misit in Elysios;
Attamen et virtus et vivida fama suorum
  Langueutis minuit maestitias animi;
Et suadet, dulces Musarum expromere cantus,
  Paullisperque undas tangere Castalias.
Scilicet afflictos, misero et squallore jacentes
  Aspiciunt placidis numina luminibus.

XIX.

Epitaphium Penthesileae Ricciae.

Si quid forma decens, pietas, mens optima posset
  Flectere rumpentem stamina saeva deam,
Penthesilea, fores nunquam surrepta marito,
  Nec flerent nati matris ad inferias.
Condita sed quamvis tegat hic lapis ossa, beatas
  Incolit ipse domos spiritus aethereas.

XX.

In Deliam.

Intentus si forte tuos, mea Delia, vultus,
  Luminaque aspicio nata movere deos;
Ætnaea non tot vibrantur mole favillae,
  Quot mî animus flammis uritur interea.
Verum si privor facieque et fronte serena,
  Frigore Sithonias vincerct ille nives.

XXI.

Ad Palladem.

Pallenti si te Lycidas redimitus oliva
  Tempora, purgato et pectore, diva, colit:

Quid puer hic Veneris nostris insedit ocellis,
Transferat ut saevas viscera ad ima faces?
Emoriar potius, simili quam labe teneri,
Et turpi dicar succubuisse deo.
Tu, dea, si merui, tenues averte sagittas,
Mens mea quo soli serviat usque tibi.

XXII.

Ad Jo. Andream Calligarium.

O quis non cupiat bene ac beate
Tibi, candide amice? quis jocosa
Spernat carmina? scriptitationes
Quis et tam lepidas et elegantes
Calligarius iste queis abundat,
Non amet mage quam suos ocellos?
O mî si citharam dedisset hujus-
modi Musa potens, piusque Apollo!
Opes despicerem Midae, atque Crassi
Aurum divitis assis aestimarem.
Quare quos tibi mittimus libellos,
Oro, molliculos, amice, reddas,
Exornesque tua jocositate:
Et cum Pierios petes recessus,
Ut mihi faveant, deas rogabis.

XXIII.

Ad Jo. Antonium Lucatellum, suum in Dialecticis Doctorem.

Candide Aristotelis sectator, nostra salutem
Mittit Musa tibi vertice ab Aonio:
Et rogat ut ponas obscura volumina et ipsam
Discentum curam, laetaque rura petas;
Nam satis aestivo discit studiosa juventus
Tempore, si morbos vitat et usque valet.

Nunc placeat solis radios prohibere sub umbra
  Arboris, ad rivos lene sonantis aquae,
Atque caput nitidum teneris circumdare sertis,
  Gutture dulcisono dum Philomela canit.
Nunc libeat mutos hamo deludere pisces,
  Ponere et auratis insidias avibus:
Nuncque cohors juvenum cultis immixta puellis
  Ducat per silvas molliaque arva choros.
Rura Paris, Priami satus alto a sanguine regis,
  Incoluit: silvis natus inermis Amor.
Rura fuere domus majorum, cum Jovis arbor
  Pelleret antiquis gentibus alta famem;
Et coluit silvas olim gens grata Tonanti,
  Praebebat superas cui deus ipse dapes.
Hîc gelidi fontes, spirant hîc leniter aurae,
  Hîc varias spargit terra benigna rosas.
Flexipedes hederae hîc texunt umbracula laeta,
  Hîc somnos suadet murmure lympha suo.
Adde, quod hîc semper pomorum copia magna est,
  Ubere lac pleno sufficit usque pecus;
Ergo Felsinei jam nunc valeatis amici:
  Nos silvae accipiant, herbiferùmque solum.

XXIV.

De Urbe Bononiae. (1)

Viderat extructam formosis moenibus Urbem
  Felsineam e summo docta Minerva polo:
Viderat et populum, caeloque minantia tecta,
  Et caelum linquens Felsinea arva petit.
Hanc placido cives vultu accepere benigni,
  Et laetos animos exhibuere deae.

(1) Videtur quaedam imitatio celebris Epigrammatis Jacobi Sannazarii „ de Mirabili Urbe Venetiis. „ Epigram. L. I. xxxv.

Juppiter amissam natam quaerebat ubique,
  Inventamque jubet templa subire poli.
Ipsa, Pater, dixit, sedes haec sola placebit
  Semper, et hanc superis praefero liminibus.

XXV.

In D. Michaelem Hymnus.

O Potens bastâ, trutinâque clare
  Aureâ Regis superi minister,
  Qui sacra laetas animas piorum
      Sede reponis:
Qui ferox diras inhibes rapinas
  Ditis, et virga Furias coërces
  Infero humanum genus appetentes
      Dedere regno;
Te canam, Caeli decus almum, et orbi
  Forte sublapsa columen salute,
  Optimum adversos agitare justa
      Proelia in hostes.
Templa te cum jam supera aestuarent
  Livido ardore et Furiis iniquis,
  Te suae genti Pater ipse divûm
      Praeficit ultro.
Tu neque adversus rapere arma fratres
  Efferos dextra veritus potenti
  Victor aurato exuvias olympo et
      Signa reportas.
Caelitum salve decus, et tua nos
  Adjuvet multa prece provocatus
  Qui gravi poena vitiis labantem
      Territat orbem.

FINIS

GABRIELIS

FLAMINII

CARMINUM SELECTORUM

INDEX.

RELIQUORUM ILLUSTRIUM

F L A M I N I O R U M

MONUMENTA.

DE SEBASTIANO FLAMINIO

GERARDUS JO. VOSSIUS.

De Historicis Latinis Libro III. pag. 679
edit. Lugd. 1651. *in* 4.

Eodem tempore (anno scilicet 1517.) ad nominis honorem contendebat Sebastianus Flaminius Forocorneliensis, Artium Professor. Edidit Vitam B. Ambrosii Senensis Ordinis Praedicatorum, quam habes inter Vitas Illustrium Dominicanorum a Leandro Alberto Bononiae editas Anno 1517.

Vide eumdem Albertum in Descriptione Italiae, ubi Etruriam, et Senarum urbem describit.

De eodem Sebastiano, et Julio Caesare Flaminio vide etiam Jo. Antonii Flaminii testimonia allata pag. 304. hujus Voluminis.

De Honorio Flaminio, deque Erophilo, ejus filio, Epistola Petri Victorii ad eumdem Erophilum, Libro IX. Epistolarum, pag. 204. edit. Florent. apud Juntas 1586. in fol.

PETRUS VICTORIUS

EROPHILO FLAMINIO S.

Amo te valde, Erophile, probe adolescens, multis magnisque de caussis, et laudi tuae toto animo faveo; in quibus est, quod cum pater tuus, vir optimus, voluerit, ut aetas tua tenera a me ad humanitatem informaretur, perspexi subito, te docilem esse ad haec studia omni libero homine digna; ex qua re magnam cepi voluptatem. Et sane de ingenio naturaque tua aliter existimari non poterat, cum inde natus esses, et adhuc in ventre matris indolem probitatemque paternam haurire potuisses. Omni demum illo tempore ita domum meam frequentasti, ut quotidie magis spes illa magna quam de tua virtute conceperam, cresceret. Venit postea tempus ut tu, jam excultus et perpolitus his elegantioribus litteris, ad artem paternam, plenam dignitatis, aditum tibi patefaceres: quare, nobis relictis, in eam urbem te contulisti in qua facile posses, frequenter audiens excellentis ingenii viros et summos medicos, ad altum illius gradum ascendere, et totum reddere atque exprimere patrem tuum, gloriamque adaequare quam ille ingentem ex ipsius tractatione consecutus est. Multo sane antea ego multorum sermonibus cognôram scientiam singularem et magnum judicium parentis tui in aegrotis curandis gravibusque morbis e corporibus eorum pellendis: non contigerat tamen ut ego cum omni mea familia valens, opera ipsius, curationibusque uterer; mutata postea res est, factumque ut ego valetudini quorumdam meorum consulens, cogerer ad aliquem confugere cujus consilio salus illis daretur; quare expe-

riri volui an vetus opinio quam de illo habueram in animo meo, vera fuisset: facile autem citoque animadverti, me nullam in partem peccasse, et recte de prudentia ipsius, antequam ejus periculum fecissem, sensisse: neque enim satis laudare poteram diligentiam, curam, providentiam hominis in munere omni proprio medicorum obeundo. Sed opus non erat hoc modo tangere, cum universa civitas redundet laudibus illius, et Princeps quoque noster, utilem sibi eum salutaremque non semel expertus, ipsum civitate donarit, et magnis dignitatis gradibus ornarit: haec enim ego commemorare volui, non quia incerta et obscura putarem, verum ut te hortarer, et stimulum aliquo modo tibi admoverem (etsi ipso non eges) ut omnes ingenii nervos contenderes ad parentem imitandum, laudemque ipsius ac gloriam persequendam. Non temere loquor; nec, plusquam deceat, industriam ejus et sedulitatem extollo. Primum igitur hoc est quod valere plurimum debet ad te impellendum: deinde Ars ipsa, quam, ut honestam et nobilem, nosti celebratam esse a divino Graeco poëta et quasi duce ceterorum omnium; qui praedicavit, compotem ipsius, parem aequalemque esse multis aliis, nec quicquam illis cedere in muneribus propriis mortalium, et quae multum prosint reliquis obeundis: ut omittam testimonia aliorum qui merito ipsam commendarunt. Quid enim pulchrius, quid gloriosius, quid magis praeclarum est, quam posse vitam hominum proferre, eosdemque acerrimis corporis doloribus liberare? Non facere autem arroganter eos qui benevolentia inducti hortantur quospiam ad laudem aliquam adipiscendam ad quam illi ipsi quos hortantur, alieni non sunt, sed sua sponte proni, declarat quod litteris proditum est de Theophrasto, sapiente viro et studioso laudis suorum, nec minus cupido veritatis in omni re aperienda: ille namque, cum floreret multitudine auditorum, intelligeretque, se gravi morbo confectum, morti propinquum esse, astantibus illis suasit ut postquam iter id ingressi forent, in eoque cursu multum versati, sive nullum la-

laborem fugerent, cum ita magna inde gloria comparetur, sive totam eam rationem abjicerent ac repudiarent; quia necessario in ipsa magni labores suscipiuntur: neque enim naturam ejus pati, ut negligenter aliquis in ea desidioseque versetur. Cum parum ego confiderem studio et officio huic meo, quamvis a pura mente et benevolentia magna proficiscatur, arderem autem desiderio tui juvandi, adjungere ipsi volui auctoritatem et pondus praestantis Philosophi, et uno ore omnium, meritoque laudati. Vale. Florent. Prid. Non. Sext. M. D. LXXIX.

Obiit Honorius Florentiae Anno 1580. in aede sacrarum Virginum D. Matthaei sepultus, hac inscriptione exornatus.

D. O. M.

HONORIVS FLAMINIVS, SEBASTIANI FILIVS, HIC IACET, SVMMVS MEDICVS, DOMO IMOLA, ILLICQVE HONESTA FAMILIA NATVS, ET IN QVA FLORVERVNT ET ALII MAGNI INGENII DOTIBVS INSTRVCTI, SANGVINE CVM IPSO CONIVNCTI, QVORVM VNVS PATER FVIT, CELEBRIS ET IPSE MEDICVS PHI. CVM IN VRBEM NOSTRAM SE CONTVLISSET, COMMENDATIONE ARTIS, ET VITAE PROBITATE VALDE GRATVS ACCEPTVSQVE FVIT CIVIBVS. A COSMO AVTEM MEDICE, MAGNO ETRVRIAE DVCE, CIVITATE DONATVS; A FRANCISCO F. QVEM GRAVI MORBO LIBERAVIT, AD PVBLICOS MAGNOS HONORES, LAETANTIBVS OMNIBVS BONIS, PROVECTVS EST. VIXIT ANNOS LVI. MENSES VII. DIES IV. OBIIT ANNO SALVTIS MDLXXX. PRIDIE NONAS NOVEMBRIS.

Erophilus autem Forocornelii decessit Anno MDCXV. cujus sepulcrum exstat in majori Templo cum hac epigraphe:

D. O. M.
HER. FLAM.

Praeclarae hujus familiae aetate nostra floruit litteratus vir Franciscus Flaminius Societatis Jesu, Senis, Florentiae, Romae in primis Rhetor illustris. Plura scripsit tum Carmine, tum soluta Oratione. Ejus eloquentiae splendorem ostendit *Oratio de felici faustoque ortu Serenissimi Archiducis Leopoldi Principis Austriae*, habita in Collegio Romano Anno MDCCXVI. Romae edita eodem anno apud Jo. Franç. Chracas in fol. Obiit Senis in Collegio Ptolemaeo VI. Kal. Jul. MDCCXXXII.



